A.m.n

8
B-2

Pro schola S. Ludovici

THEOLOGIA
MORALIS-FUNDAMENTALIS

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII X PRAELATO DOMESTICO

CANONICO PRAEPOSITO CATHEDRALIS FAVENTINAE

ET S. THEOL. DOCTORE

WITHDRAWN

VOLUMEN UNICUM

Continens tractatus
De legibus, de actibus humanis, de conscientia et de peccatis.

LIBRARY FRANCISCAN MASTERY
3140 Keramac Street
ST. LOUIS

241
B483t

FAVENTIAE
TYP. NOVELLI & CASTELLANI
MCMV

STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.

Faenza 23 Giugno 1905

Se ne permette la stampa

✠ GIOACHINO Vescovo di Faenza

Iura quae a lege sunt auctor sibi vindicat

2598

LEO PP. XIII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quum a doctrina tua laboriosis voluminibus probati operis consignata non parum apud eruditos viros consecutus sis laudis, et quum ab hac doctrina non disiunctus sit timor Domini et pietas singularis, dignum te esse duximus, quem Nos ecclesiasticae dignitatis honore affecerimus, qui tibi commendationem et benevolentiam Nostram testaretur. Quare te.... his litteris Praelatum Nostrum Domesticum facimus, constituimus, renuntiamus.....

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI Novembris MCM Pontificatus Nostri anno vigesimo tertio.

(Foris)

—

Dilecto Filio
AEMILIO BERARDI
Canonico Praeposito Cathedralis Faventinae

AD LECTOREM

In opere cui titulus *Praxis Confessariorum*, illam theologiae moralis partem evolvi, quae dicitur *specialis* et continet tractatus de virtutibus theologicis, de decalogo, de iustitia et iure, de contractibus, de successionibus, de praeceptis Ecclesiae, de statibus particularibus, de sacramentis, et de censuris.

In hoc opere autem aliam partem, quae *generalis* seu *fundamentalis* appellatur, evolvo. In ista ago de legibus, de actibus humanis, de conscientia, de peccatis; et sic totam theologiae moralis tractationem, Deo adiuvante, compleo.



TRACTATUS I.

De Legibus

Per summa capita agendum est de legis 1° de essentia ; 2° variis speciebus ; 3° auctore ; 4° promulgatione ; 5° validitate ; 6° de consuetudine vim legis habente ; 7° de legis interpretatione ; 8° effectibus ; 9° subiecto ; 10° adimpletione ; 11° de causis excusantibus et eximentibus ; 12° de dispensatione et privilegio ; 13° de legis cessatione.

CAPUT I.

DE LEGIS ESSENTIA SEU DEFINITIONE, DIVISIONIBUS ET DISTINCTIONIBUS.

1. ***Quid est*** *lex ?*

Est regula morum societati, aut aliquibus personarum caetibus, auctoritative imperata.

Dicitur *regula morum ;* quia non de legibus physicis sed de legibus moralibus agimus. Dicitur *auctoritative imperata,* tum quia prodire debet ab auctoritate competenti (cuiusmodi esse potest etiam societas ipsa, prout contingit v. g. in legibus consuetudinariis et in iure gentium), tum quia (ut sit valida) debet esse rationabilis et notificata. Dicitur *imperata societati, aut aliquibus personarum caetibus ;* lex enim non iam ad particulares personas tantummodo, sed vel ad totam societatem vel ad integros caetus (v. g. clericorum, Regularium, militum, mercatorum etc.) dirigi debet.

2. *Quaenam sunt principalissimae legis* ***divisiones?*** Potest esse 1° *praeceptiva* (quae dicitur etiam affirmativa). 2° *Prohibitiva* (quae dicitur etiam negativa). 3° *Permissiva, ius dans* vel facultatem concedens. 4° *Irritans* (actum invalidans) vel *inhabilitans* (reddens personam ineptam ad aliquid valide agendum). 5° *Poenam imponens.* 6° *Divina, humana, ecclesiastica, civilis,* etc. Sed istae, et aliae divisiones declarabuntur infra.

3. *Lex in quo distinguitur* ***a praecepto, a iure, et a decreto?***

Distinguitur *a praecepto,* quia praeceptum non subditos omnes vel aliquem caetum in universali sed solum particulares personas respicit. Praeterea dari potest etiam a persona habente quidem auctoritatem sed pro legibus non competentem; et generatim expirat morte praecipientis.

Distinguitur *a iure;* quia, dum dicimus *ius divinum, ius canonicum, ius civile* etc., non unicam legem, sed leges omnes ad illud genus pertinentes, intelligimus. Porro aliud est lex, et aliud est legum *codex.*

Distinguitur a *decreto,* sed solum quatenus decretum ipsum esset particulare; si enim esset generale, tunc differentia non de re sed de nomine tantummodo foret.

4. *An lex possit esse* ***hypothetica,*** *vel* ***temporanea,*** *vel possit etiam* ***actum unica vice ponendum*** *respicere; et an distinguatur a* ***statuto?***

I. Certe potest esse nedum absoluta, sed etiam *hypothetica,* seu conditionata, quae nempe praecipiat, vel prohibeat, vel poenam statuat, vel irritet aliquid non absolute, sed sub certis conditionibus et solum in quibusdam circumstantiis; imo huiusmodi leges sunt innumerae.

II. Ut plurimum sunt perpetuae, unde passim in legis definitione ponitur etiam *perpetuitas;* sed condi possunt etiam leges temporaneae, quamvis tunc dici soleant potius *dispositiones transitoriae.* Meo sensu, est quaestio de nomine.

III. Si societati imponeretur obligatio aliquid unica vice faciendi, tunc non de lege, sed de *edicto* ageretur.

IV. Lex non distinguitur *a statuto;* unde v. g. statuta dioecesana sunt verae leges.

CAPUT II.

DE VARIIS LEGUM SPECIEBUS NOTIONES GENERALISSIMAE.

5. *Quaenam sunt* ***principales legum species?***
Principales, imo principalissimae, legum species sunt duae, nempe *lex divina* et *lex humana*, de quibus seorsim in sequentibus duobus articulis agam.

Quatenus autem leges divinae et humanae respiciunt obligationes et iura sive principum erga subditos sive societatis erga aliam societatem (v. g. societatis civilis erga ecclesiasticam vel unius nationis erga aliam), constituitur *ius publicum*, cuius veluti partes sunt *ius internationale* et *ius gentium*. Sed de his in hoc compendio agere non oportet.

ARTICULUS I.

De lege divina.

6. ***Quaenam et quotuplex*** *est lex divina?*
Est quae Deum immediate auctorem habet.
Est duplex, scilicet naturalis et positiva.

7. *Quaenam est lex* ***naturalis?*** Est quae respicit ordinem a natura humana servandum, et solo lumine rationis, seu conscientiae tranquillitate vel remorsu naturali, cognoscitur.

8. *Quaenam est lex* ***divina positiva*** *et quomodo* ***subdividitur?***
Est quae per revelationem supernaturalem a Deo ipso hominibus imposita fuit.

Subdividitur in veteris et novi testamenti; atque insuper in mere et non mere positivam.

Lex divina *veteris testamenti* consistit praecipue in decalogo et in lege mosaica.

Lex divina *novi testamenti* dicitur etiam *evangelica*, et consistit in mandatis D. N. I. Christi, de quibus constat ex Scriptura et traditione.

Talia sunt praecipue 1° quae spectant ad fidem; 2° mandata circa sacramenta et sacrificium eucharisticum; 3° confirmatio decalogi; 4° abrogatio legis mosaicae, quoad

praecepta caeremonialia; 5° prohibitio repudii et polygamiae simultaneae; 6° mandatum obediendi Ecclesiae.

9. *Leges, quae latae fuerunt* ***ab Apostolis****, suntne divinae?* Negative (etsi in sacris litteris inveniantur); illae enim non a Deo immediate, sed ab Apostolis, latae fuerunt. Huiusmodi est v. g. lex de bigamis non ordinandis.

10. *Quaenam sunt leges* ***divinae mere et non mere positivae?***

Mere positivae sunt quae ponunt obligationes iure naturae nullo modo existentes, ut puta, quae respiciunt sacramenta.

Non mere positivae sunt quae confirmant ius naturale (prout est decalogum), aut illud derminant (prout fuit lex de sanctificatione *sabbathi*); aut maximam convenientiam naturalem ad strictam obligationem evehunt (prout abolitio repudii et polygamiae).

ARTICULUS II.

De lege humana.

Agam 1° de lege humana in genere; 2° de lege ecclesiastica; 3° de lege civili.

PUNCTUM I.

De lege humana in genere.

11. *Quaenam* ***est*** *lex humana, et quaenam sunt principales eiusdem* ***divisiones?***

Est quae, etsi remote et mediate sit a Deo, tamen proxime et immediate est ab homine, atque a societatis rectore fertur.

Potest esse 1° ecclesiastica; 2° civilis; 3° scripta; 4° traditionalis; 5° consuetudinaria; 6° mere poenalis (nempe statuens poenam, quin curet de obliganda conscientia); 7° mixta (scilicet obligans ad culpam simulque ferens poenam); 8° inhabilitans, vel irritans, vel rescindibilitatem concedens; 9° ipso facto vel solum post iudicis senten-

tiam obligans, vetans, puniens, irritans etc.; 10° territorialis; 11° personalis (scilicet obligans subditos etiam extra territorium); 12° generalis; 13° particularis (scilicet non totum territorium, aut non omnes subditos, sed partem dumtaxat, afficiens).

PUNCTUM II.

De lege ecclesiastica.

12. *Quaenam* ***est*** *lex ecclesiastica?*

Est quae ad bonam Ecclesiae gubernationem ab iis, qui potestate legislativa in illa gaudent, fertur.

Complexus legum ecclesiasticarum *ius canonicum* dicitur.

13. *Quomodo* ***dividitur ius canonicum?***

Dividitur imprimis in *commune* et *particulare*.

Primum totam Ecclesiam; secundum Regnum, aut provinciam, aut dioecesim dumtaxat, respicit.

14. *Ius commune subiicitur* ***subdivisionibus?***

Subdividitur in *corpus iuris*, et *ius novissimum*.

Corpus iuris constat collectionibus antiquis legum, quae a Conciliis et Romanis Pontificibus editae fuerunt usque ad annum 1484.

Collectiones istae appellantur *Decretales, Sextus, Clementinae*, et *Extravagantes*. Omnimoda authenticitate gaudent, et (praescindendo a contrariis legitimis consuetudinibus vel derogationibus) obligant.

In corpore iuris adest etiam collectio, quae dicitur *Decretum Gratiani*; sed illa tamquam authentica et obligatoria nunquam ab Ecclesia proposita fuit; unde quae in hoc Decreto referuntur, vim habent solum quatenus 1° authentica reperiantur; 2° ab habente auctoritate leges universales ferendi lata fuerint.

Ius novissimum constat aliis legibus, quae post annum 1485 sive a Conciliis generalibus, sive a RR. Pontificibus (per bullas, brevia, decreta, rescripta ad instar decretorum etc.), ad nostra usque tempora latae fuerunt.

PUNCTUM III.

De lege civili.

15. *Quaenam* ***est*** *lex civilis et quomodo* ***dividitur?***
Est quae ad civilis societatis gubernationem ab illius rectore fertur.

Dividitur in ius commune, codicem nationalem, et iura particularia.

Ius commune civile est ius Romanum, seu corpus iuris civilis a Iustiniano editum. Dicitur commune, quia non ita pridem fere omnium nationum codex erat; et nunc quoque, quatenus perfectissimus legis naturalis interpres et veluti *ratio scripta*, particularium codicum non solum basis, sed etiam supplementum (si quae ex illis decidi nequeant) esse solet.

Codex nationalis est collectio legum principis auctoritate pro suo regno promulgata.

Codices solent esse plures, scilicet *civilis*, *poenalis*, *commercii* etc. etc.

Iura particularia sunt statuta municipalia, consuetudines locales etc.

CAPUT III.

DE AUCTORE LEGUM HUMANARUM, SEU DE IIS QUI VALIDE LEGISLATORES ESSE POSSUNT.

16. *In societate humana facultas legislativa* ***apud quemnam*** *residet?* Distinguendum est inter societatem independentem, et dependentem.

Quoad societatem adhuc *independentem* (cui scilicet ab auctoritate sive interna sive externa leges statuere vetitum non fuerit) facultas legislativa est apud societatem ipsam; quae, sive consuetudinibus universaliter probatis, sive in comitiis, suas leges sibi constituere posset.

Quoad societatem *dependentem* (quae scilicet iam habet rectorem auctoritate legislativa sive impositum ab au-

ctoritate externa, sive libere electum, sive utcumque acceptandum et recognoscendum), facultas legislativa solum apud eundem rectorem residet.

Notandum quod, praeter rectorem supremum, alii quoque rectores inferiores, eadem leges ferendi auctoritate plus vel minus praediti, adesse possunt.

17. *Quinam sunt* ***legislatores supremi?***

Pro *Ecclesia* est Summus Pontifex, qui, sive generales pro tota Ecclesia, sive particulares (pro hoc vel illo loco aut coetu) leges condere potest.

Sede vacante supremum Ecclesiae regimen spectat ad Collegium Cardinalium; sed ipsi novas leges (nisi forte modo provisorio ad avertenda magna pericula hic et nunc ingruentia) condere non possunt. Vecchiotti (*I § 38*).

Pro *societate civili*, quisnam sit legislator supremus, patebit ex constitutione societatis ipsius. Ordinarie est Rex, seu Imperator seu Praesidens etc.

Attamen legislatores civiles non ita supremi dicendi sunt, ut eorundem leges ab Ecclesia quoad conscientiam corrigi nequeant.

Circa principem usurpatorem notari debet quod illius quoque leges (si iustae sint) validae sunt. Validitas autem non ab usurpatione, sed ex iure societatis (quae regiminis necessitatem habet), atque ex tacito legitimi Principis consensu, provenit.

Illa tamen contingit non quando usurpator est adhuc in actuali aggressione, sed quando in possessione iam satis pacifica versatur.

18. ***Legislator inferior*** *essetne subordinatus supremo, quamvis (prout ordinarie contingit) esset ordinarius, et proinde ex officio suo leges condere posset (prout v. g. Episcopus)?*

Affirmative; et haec subordinatio contingere potest quoad leges, tum conditas, tum condendas.

Quoad conditas, legislator supremus potest (intellige iustis de causis) illas corrigere vel abrogare.

Quoad condendas, inferior contra leges legislatoris supremi nihil decernere potest. Reservationibus insuper et conditionibus (si quas ille statuerit) parere debebit. Exem-

plum habes in conditione (quae interdum apponitur) revisionis vel confirmationis prius obtinendae.

19. *Quid notandum* ***circa confirmationem?***

Confirmatio (quae etiam aliquando non ex necessitate sed sponte postulatur) ordinarie apponitur *in forma communi*, et tunc lex confirmatur quidem, sed remanet superioris subordinati, et proinde ab eodem revocari potest.

Sed interdum apponitur *in forma specifica;* et tunc naturam legis mutat, quatenus lex ipsa, iam evadat legislatoris supremi; et remaneret quidem particularis, sed ab inferiore abrogari nequiret.

Ut tamen hoc verificetur, oportet ut clare pateat quod legislator supremus legem illam facere suam atque irrevocabilem reddere vere intenderit, ut puta, si dixisset: — Quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit —; vel si dixisset: — Ex certa scientia et motu proprio —.

20. ***Quinam sunt legislatores inferiores,*** *seu subordinati, seu utcumque non supremi, in Ecclesia?* Sensu infra explicando sunt 1° Concilium aecumenicum; 2° Sacrae congregationes romanae; 3° Episcopi et synodi dioecesanae; 4° Capitulum, sede vacante, et vicarii capitulares. 5° Concilia provincialia. 6° Capitulum generale ordinum religiosorum, eorumque supremi praesules.

21. *Quo sensu concilium aecumenicum potest esse subordinatum?* Quia eius leges indigent confirmatione Summi Pontificis.

22. *Quid de sacris* ***congregationibus*** *romanis?*

Hae sunt Congregationes Sanctae Universalis Inquisitionis, Indicis, Concilii, Episcoporum et Regularium, Regularis disciplinae, Propagandae Fidei, Immunitatis, Rituum etc. Quamvis autem hae congregationes ut plurimum exposcere debeant confirmationem Summi Pontificis, tamen decreta etiam generalia (quae verae leges sunt) condere possunt.

Quod autem dicta confirmatio necessaria sit, pro praxi quoad subditos nihil refert; quando enim aliqua S. Congregatio iubet, prohibet etc., obedire oportet; pro certo enim tenendum est quod legitime processit; atque adeo approbationem pontificiam, si exigatur, obtinuit; sive in decreto id expresserit, sive non.

23. *Quid de* ***Episcopis et Synodis dioecesanis?***

Episcopus potest certe (attamen solum post captam realem propriae ecclesiae possessionem) iure ordinario pro dioecesi sua condere leges absque ulla necessitate revisionis vel confirmationis S. Sedis. Has leges autem condere potest non solum in synodo, sed etiam extra synodum.

Equidem aliqui dicunt quod leges Episcopi extra Synodum non sunt verae leges, sed solum praecepta, generalia quidem, sed non perpetua: ita ut scilicet morte illius cessent. At vero opinio ista, meo sensu, quovis serio fundamento caret, et probabilis non est.

Episcopus tamen (sive de synodalibus, sive de extra synodalibus legibus agatur) canonicorum consilium (nisi forte consuetudo legitime praescripta in contrarium adesset) exposcere debet. Illud tamen sequi non tenetur; sicut etiam in synodo contra cleri sententiam legem ferre posset. An autem interpellatio capituli exigatur pro valido, an vero solum pro licito, non satis constare videtur.

24. *Quid de capitulo, sede vacante, et de vicariis capitularibus?* Hi quoque iure ordinario (quum in episcopi iurisdictionem succedant) possunt tum synodum dioecesanam convocare, tum quoque extra synodum condere leges, et quidem (etsi aliqui hic etiam contradicant) de se perpetuas, atque adveniente quoque novo episcopo, duraturas, nisi revocentur.

25. *Quid de Concilio provinciali?* Concilium provinciale (non vero solus Metropolitanus) potest leges ferre pro provincia. Oportet tamen, ut decreta, ante promulgationem, non pro confirmatione sed pro simplici revisione, ad S. C. Concilii mittantur; quae (si opus sit) illa moderari debet.

26. *Quid de potestate legislativa quoad ordinum religiosoram capitulum generale et praesules?*

Capitulum generale et praesules supremi certe hac auctoritate pollent.

Quoad provinciales videndae sunt ordinis constitutiones.

Singulorum autem monasteriorum praesules (scilicet Priores vel Priorissae) auctoritatem legislativam minime habent. Possunt solum ferre praecepta, quae, ipsis ab officio cessantibus, cessant.

27. *Quaenam sunt vel esse possunt legislatores inferiores vel subordinati in societate civili?* Hoc ex uniuscuiusque Status constitutione desumendum est. Videndum scilicet an adsint camerae legislativae deputatorum, et senatorum; et quid possint municipia etc.

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE LEGIS ET DE TEMPORE QUO POST PROMULGATIONEM LEX EFFECTUM HABERE INCIPIT.

28. ***Quid est*** *promulgatio?* Est legis magna et solemnis publicatio quae iussu legislatoris perficitur.

29. ***Cur*** *fit promulgatio?* Ut lex producat suos effectus, ut scilicet illius notitia in societate cito et ample diffundatur, atque ita 1° subditi cognoscant se illa obligari; 2° iudices in tribunalibus pro sententiis regulam sumant; 3° quidam actus reddantur invalidi aut validi si lex actuum ipsorum validitatem respiciat, ut puta, si contractum aliquem invalidaret vel iurisdictionem auferret, aut e contra facultatem tribueret etc.

30. *Promulgatio estne semper* ***quid distinctum ab ipsa lege,*** *ita ut semper lex prius fiat et postea promulgetur?* Non in legibus omnibus id verificatur; in lege naturali enim, atque etiam tum in legibus divinis positivis, tum in legibus consuetudinariis (seu populorum moribus introductis) promulgatio est unum et idem cum legibus ipsis. Solum igitur in legibus humanis scriptis promulgatio quid distinctum esse solet.

31. *Promulgatio* ***fitne semper eodem modo?***

Negative; sed modus publicationis pendet a voluntate legislatoris iuxta diversas consuetudines diversasque circumstantias.

Potest esse 1° Affixio in locis consuetis. 2° Insertio in diario officiali. 3° Litterae encyclicae. 4° Publicatio viva voce coram multis peracta v. g. in platea, in synodo etc.

32. *Promulgatio* ***distinguiturne a divulgatione?***

Affirmative; lex enim potest esse promulgata (v. g. in locis consuetis affixa) et non adhuc divulgata.

Potest etiam distingui a publicatione iussu ipsius legislatoris peracta in civitatibus secundariis; haec enim publicatio ex mente legislatoris interdum pertinere potest

ad ipsam promulgationem, et interdum potest esse tantummodo medium ut lex iam promulgata citius et melius ad omnium cognitionem proveniat.

33. *Promulgatio distinguiturne* ***a notitia?*** Ab illa distinguitur quam maxime. Potest enim contingere quod lex sit promulgata, imo etiam divulgata, et nihilominus plures illius notitiam adhuc non habeant, unde delinquant quidem sed solum materialiter. E contra nihil vetat quominus multi habeant notitiam legis quae adhuc promulgata minime fuerit etc.

34. *Promulgatio estne prorsus* ***essentialis,*** *ita ut nullus legislator efficere posset ut lex sua valeat, nisi iussisset ut solemniter publicaretur?*

Promulgatio ut plurimum iure naturae exigitur; idque contingeret si magna adesset necessitas ut nova obligatio cito a multis cognosceretur; et bene contingere potest etiam quod deficiente promulgatione lex sit invalida, ut puta, si omissio promulgationis contra voluntatem legislatoris accidisset, maxime vero si ageretur de lege iurisdictionem auferente vel quomodolibet actus invalidante, ita ut talis invalidatio communiter ignorata magna mala produceret et contra bonum commune esset, ut rectissime notat Ballerini (*Op. th. de legibus n. 22*).

Caeterum ex una parte aliquando non adest necessitas ut tam cito lex communiter cognoscatur, sufficitque ut pedetentim in subditorum notitiam deveniat; et ex alia parte promulgatio veri nominis (atque adeo cum solemnitate) non expedit ut frequenter locum habeat. Hinc bene contingere potest ut quaedam leges sine tali promulgatione validae sint; idque patet etiam ex facto, speciatim quoad leges mere declarativas, quae ad solvenda dubia circa leges praecedentes, sine solemni promulgatione fieri solent. Vide Acta S. Sedis (*Vol. X pag. 495*). Nihil dico de decreto Urbani VIII circa regularum Cancellariae (quae sunt verae leges) validitatem, etiam antequam promulgentur.

35. *Quinam est* ***modus hodie consuetus*** *circa legum promulgationem?*

Leges *civiles* apud nos promulgantur per insertionem in diario officiali Regni.

Leges *pontificiae* non amplius (sicut olim) promulgari solent per affixionem ad valvas Basilicae S. Petri etc.; bene vero per encyclicas ad Episcopos.

Leges autem *episcopales* promulgantur modo per litteras encyclicas ad parochos, modo per edicta affixa in locis consuetis, modo per insertionem in kalendario dioecesano etc.

36. *Promulgatione facta,* ***incipitne lex habere effectum statim?***

De hoc nulla quaestio esse posset si ageretur de lege confirmativa vel declarativa iuris divini (naturalis aut positivi) sive quoad fidem sive quoad mores, Pontifice v. g. damnante aliquam doctrinam, vel declarante talem vel talem rem esse iure divino illicitam. A momento enim quo quis certe noscit rem aliquam esse contra legem Dei, utique statim ab illa abstinere tenetur.

Si autem agatur de lege mere humana, adhuc tunc, antequam habeat effectum, exigitur aliquod tempus post promulgationem in duobus casibus; nempe 1° quando terminus ab ipso legislatore determinatus fuerit, idque apud nos contingit in legibus civilibus pro quibus quindecim dies a nostro codice (*Titolo preliminare A. I*) assignantur. 2° Quando aliquis temporis tractus omnino exigitur, quia, si non concederetur, lex pro tunc valida esse nequiret. Certe enim non potest praesumi quod legis notitia iam sit diffusa v. g. in tota dioecesi ex ipso momento quo litterae encyclicae ad Episcopum pervenerint, maxime vero in toto mundo illo ipso die quo primitus Romae promulgata fuerit. Aliunde praesumptio, quod in loco legis notitia iam sit diffusa, omnino exigitur speciatim si agatur de lege, quae dare debeat regulam pro tribunalibus, vel quosdam actus invalidet (ut supra dicebam).

37. Sed iste temporis tractus, si a legislatore vel iure ipso taxatus non fuerit, quomodo determinabitur?

Meo sensu vera doctrina est, legem suos effectus habere quasi statim quoad illos qui resident in civitate ubi promulgatio accidit, sed pro aliis locis exigi maius tempus determinandum iudicio prudentum, quod profecto, iuxta

diversas distantias atque diversam legis ipsius naturam, diversum esse debebit. Magna autem differentia facienda est inter casum in quo promulgatio solum in civitate capitali, et casum in quo etiam in civitatibus secundariis fieri deberet; et bene contingere potest quod lex, sicut promulgari pedetentim, ita effectum quoque pedetentim, nempe prius in civitate capitali et postea in secundariis, habere valeat; nec proinde opus est ut v. g. prius in toto Orbe catholico completa fuerit promulgatio, ut Romae, ubi valde antea promulgatio ipsa accidit, lex effectum habere possit.

38. Hinc hodie reiicienda est prorsus doctrina quae dicebat nullum effectum habere posse legem in regione, nisi ad regionis ipsius Episcopos missa ab iisque in singulis dioecesibus promulgata fuerit; sic enim Summi Pontificis auctoritas coaretaretur, et supremum Ecclesiae regimen quammaxime in compedes coniiceretur. Cf. Génicot (*I 103*).

Hodie etiam non amplius valet doctrina, quae tenebatur a multis cum S. Ligorio (*I 96*) et dicebat: « Quando in lege non determinatur « tempus ad obligationem, nullos obligare, neque in Curia existentes, nisi « post duos menses a promulgatione ».

39. *Quidnam in praxi est maxime considerandum circa promulgationis necessitatem, modum et tempus quod decurrere debeat antequam lex effectum habere incipiat?* In his omnibus standum est voluntati legislatoris; et, si ille nihil dixisset, quid minimum sufficere poterit, et sensus communis iudicabit.

40. *Daturne casus, in quo lex promulgata fuerit, atque insuper tempus, ut supra, praeterierit: et nihilominus illius* ***effectus suspensus maneat?*** Affirmative; si nempe in aliquo loco particulari ex una parte lex generalis etiam personis prudentibus videretur non opportuna, aut improvida, aut noxia (etsi hoc non esset certum), et ex alia episcopus vel primates ad legislatorem haberent recursum. Illo pendente, lex ipsa tamquam suspensa considerari posset. Cf. Bened. XIV (*De Syn. IX.* VIII).

CAPUT V.

DE LEGIS VALIDITATE.

41. *Ad legis validitatem* ***quaenam exiguntur?*** Exigitur 1° ut emanaverit a legislatore legitimo, aut qui pro legitimo haberi debeat (iuxta dicta *n. 17*); 2° ut promulgata fuerit, (attamen solum iuxta supra dicta *n. 34*); 3° ut sit iusta; nempe, si praecipiat, debet praecipue iusta; et, si disponat, debet disponere iuste.

42. *Quid de prima conditione, quod scilicet lex debeat* ***praecipere iusta?***

I. Nemo potest valide *praecipere* iniqua, seu illicita, donec talia maneant (nisi scilicet in potestate legislatoris esset reddere licitum quod alias illicitum foret, prout in expropriatione coacta ob publicam necessitatem contingere posset).

II. Aliud est praecipere, aliud est *tolerare* iniqua; interdum enim valide condi possunt leges de aliquo malo (v. g. cultu falso, meretricio etc.) tolerando; attamen solum si et quantum oporteat ne peiora mala sequantur.

43. *Quid de secunda conditione quod scilicet lex debeat* ***disponere iuste?*** Oportet ut legislator limites propriae auctoritatis non excedat; secus enim, auctoritate deficiente, eius dispositiones, per se et pro parte excedente, invalidae essent.

44. *Quibus in casibus* ***auctoritatis excessus*** *contingeret?*

I. Si lex extenderetur ad non subditos, vel ad exemptos, exceptis casibus ipso iuris determinatis.

Excipe etiam nisi auctoritate delegata legislator (v. g. Episcopus ex delegatione Papae) ad eos quoque legem extendere posset.

II. Si, vetante lege superioris ordinis, aliquid disponeretur: ut puta, si validitati alicuius legis civilis leges ecclesiasticae obstarent.

III. Si lex necessaria aut saltem valde utilis non esset; si nempe in commune bonum non redundaret, vel bonum istud esset nimis leve, nempe gravamini universae

societati imposito non proportionatum; maxime vero si lex ipsa potius in destructionem quam in aedificationem esset.

Hinc leges, quae ex una parte valde durae, aut quomodolibet (habito respectu ad communem hominum fragilitatem et conditiones locorum aut temporum) nimiis transgressionibus expositae forent, et ex alia gravissima necessitate non legitimarentur, validae esse nequirent.

IV. Si onera ultra necessitatem augerentur, aut, aequitate non servata, distribuerentur; aut (seclusa iusta causa) subditorum parti dumtaxat, aliis immunibus remanentibus, imponerentur.

45. *Cur dixisti quod leges auctoritatis limites excedentes sunt invalidae* ***per se et pro parte excedente?***

Dixi *per se,* quia legibus etiam certe invalidis (dummodo non praecipiant illicita) non raro parendum est in conscientia; saepe enim ex inobedientia scandalum pusillorum, perturbationes, aut alia mala provocarentur; unde lex altioris ordinis tunc quoque obedientiam facile exigere potest.

Dixi *pro parte excedente,* solum enim relate ad illam lex iniusta esset, unde bene contingere potest quod leges (sive ex hoc sive ex alio capite) partim iustae et partim iniustae, et proinde partim validae et partim invalidae sint.

46. *Quid* ***in dubio*** *de iustitia legis? Tenenturne subditi obedire, quamvis dubitent an legislator propriae auctoritatis limites excesserit, vel etiam an res praecepta licita sit?*

R. Ordinarie obedire tenentur; regula scilicet ordinaria est ut subditi obedire debeant, nisi *evidenter* constet rem praeceptam esse illicitam, et nefas esse obedire.

Rationes sunt duae. *Prima ratio* est quia in dubio ordinarie praesumptio superiori favet, et dubia sunt temeraria. Superiores enim multo plura cognoscunt quam subditi, et iustissimas habere possunt rationes, quas subditi ipsi nullatenus vel non sufficienter cognoscant. Adde quod, si agatur de lege recenti et paulo onerosiori, defectus maturi consilii et passiones hallucinationibus locum dare atque ad falsissima iudicia subditos pertrahere valent. *Secunda ratio* est quia ex subditorum inobedientia et reluctantia ut plurimum mala nimis gravia et valde praeponderantia secutura essent.

Dixi subditos obedire debere *ordinarie:* interdum enim (intellige nisi agatur de legibus pontificiis) dari possunt casus, in quibus praesumptio legislatori non faveat, et dubia (de legis iniustitia) fundatissima et prudentissima sint. Legislator, v. g. iam aliis vicibus (sive ex imprudentia sive ex malitia) leges manifeste iniquas fecit; de iustitia autem legis praesentis primates quoque et viri

docti, probi, atque prudentes graviter dubitant, imo multi de illius iniustitia manifesta persuasi sunt. Contingere potest etiam quod casus in aliis occasionibus iam fuerit valde discussus, et apud ipsos theologos et iuris publici doctores vertatur in dubium, utrum potestas legislativa ad rem illam extendi possit etc.

Hinc scripsit Lugo (*De Iust. XXXVI.* vi. *89*): « Praesumptionem « pro principe et pro lege magnam quidem esse ; quando tamen non sunt « circumstantiae, quae praesumptionem illam magna ex parte extenuent ».

Quatenus autem praesumptio legislatori non faveat ; tunc etiam videndum erit ne forte ad evitanda mala maiora, nihilominus obediendum sit. Si vero, iudicio prudentum, ne hoc quidem verificaretur ; tunc subditi vere liberi remanerent ; speciatim si obedientia nimis onerosa esset; maxime vero si in damnum religionis, vel in ruinam societatis omnino redundare videretur, aut si valde timendum esset, ne res exequenda reapse magnum delictum foret, ad quod exequendum subditorum opera Princeps uti intenderet.

Hinc scripsit S. Ligorius (*Hom. Ar. I 18*) : « Limitationem hanc « habet haec doctrina obediendi praeceptis dubie iustis, quoties periculum « gravis damni spiritualis aut temporalis secum coniungeret, aut si res « praecepta esset etiam probabiliter illicita, et una simul esset valde « molesta et difficilis ».

CAPUT VI.

DE CONSUETUDINE QUAE LEGEM FACIT.

47. ***Quid est*** *consuetudo et quomodo consuetudo, quae legem facit, ab aliis consuetudinibus distinguitur?*

I. Consuetudo generalissime accepta est frequentia actuum moralium.

II. Ad intelligendum quomodo consuetudo quae legem facit ab aliis distinguatur, notari debet imprimis quod dantur consuetudines privatae et publicae. *Privatae* consistunt in frequentia actuum moralium in privatis personis, aut familiis. *Publicae* vero consistuut in actibus publicis et communibus, v. g. nationis, civitatis, oppidi, paroeciae etc. ; quae (secus ac unica familia vel pauci individui) societates perfectae dicuntur.

Consuetudines publicae autem aliae sunt facti, et aliae iuris.

Consuetudo facti consistit in actibus, qui nullatenus

legem efformarunt; et mere facultativi semper remanserunt (ut consuetudo recitandi *Angelas*).

Consuetudo iuris autem (quae etiam *ius non scriptum* appellatur) provenit ab actibus, qui veram legem efformarunt; et haec consuetudo est illa de qua hic verba facimus.

De consuetudine autem, quae legem interpretatur vel abrogat, sermo habebitur infra.

48. *Consuetudo quae legem facit* ***quomodo definitur?*** Definitur: — Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex —. Explicatius definiri potest: — Frequentia actuum publicorum societatis, qui a legibus praeexistentibus neque prohibiti neque praecepti sint, et non solum sint laudabiles et materiae legis capaces, verum de facto tamquam obligatorii absque ulla controversia habeantur —.

49. *Consuetudines huiusmodi subeuntne* ***distinctiones?*** Affirmative: Distinguuntur enim 1° Ratione effectus; et aliae sunt *praeceptivae*, aliae *prohibitivae*, aliae *poenales*, aliae *irritantes*. 2° Ratione diversarum societatum; et aliae sunt *ecclesiasticae*, aliae *civiles*, aliae *internationales*. 3° Ratione extensionis; et aliae sunt *generales* (v. g. pro tota Ecclesia, pro toto Regno, pro toto Ordine Religioso); et aliae *particulares* (v. g. pro tota particulari dioecesi, vel paroecia, vel oppido, vel monasterio); item aliae sunt *communes* cuilibet coetui, et aliae *restrictae ad aliquem coetum* (v. g. ad solos clericos, ad solos laicos, ad solos mercatores etc.). Denique ratione antiquitatis, et aliae sunt *immemorabiles*, aliae *centenariae*, aliae *quadragenariae*, aliae *decennales* etc.

50. *Quaenam sunt* ***requisita necessaria,*** *ut consuetudo vim legis habeat, veramque obligationem inducat?*

Debet esse 1° rationabilis; 2° praescripta aut sufficienter probata; 3° in societate perfecta; 4° libere et non ex errore introducta. Sed haec sunt explicanda.

51. *Quid significat quod consuetudo debet esse* ***rationabilis?*** Oportet non solum ut actus, qui consuetudinem efformant, sint liciti et laudabiles in se: sed etiam ut consuetudo ipsa, praecise quatenus obligatoria, in commune bonum redundet; expediat scilicet ut de ea re obligatio sub-

sistat; id enim ad cuiuslibet legis validitatem (iuxta dicta *n. 44 III*) semper necessarium est.

52. *Quandonam consuetudo tamquam* ***praescripta, aut sufficienter probata*** *haberi debebit?*

Notanda est imprimis differentia inter consuetudinem praescriptam, et consuetudinem non equidem praescriptam sed sufficienter probatam.

Consuetudo *praescripta* contingit quando toto tempore, quod *per legem antecedentem et generalem scriptam* declaratum fuit sufficiens ut obligatio per consuetudinem inducatur, populus demonstravit suam voluntatem se se obligandi. Huiusmodi autem tempus de iure communi canonico et civili est tempus longaevum, quod interpretatur decennium. (Suarez *VII.* xv *5*).

Consuetudo autem *sufficienter probata* contingit quando, etsi decenninm non adhuc completum fuerit, tamen sine ulla dubitatione pateat quod obligatio iam subsistat. Et haec quoque consuetudo non praescripta, sed sufficienter probata, ad constituendam veram legem sufficit. (Suarez *l. c. 8*).

Difficultas est in determinandis signis, ex quibus manifeste pateat quod populus demonstraverit suam voluntatem sese obligandi, et quod insuper obligatio sine dubio iam subsistat. Huiusmodi signa, sive cumulative sive etiam seiunctim, sunt sequentia: 1° Si populus de inobservantia communiter scandalizetur, quatenus iam universalis et firma persuasio sit quod transgressiones verum peccatum constituant. 2° Si Praelati transgressores corrigere soleant. 3° Si in publicis tribunalibus consuetudo tamquam vera lex consideretur, et transgressores poenis mulctentur. 4° Si ex inobservantia tales orirentur inordinationes et perturbationes, quae ipso iure naturali evitari deberent. 5° Si consuetudo non solum ab omnibus et iam inde a longo tempore constanter servata fuerit, sed etiam ad commune bonum non quovis modo sed valde conferat et veluti necessaria videatur: tunc enim praesumendum est, populi voluntatem esse ut ex obligatione continuetur: maxime vero si esset in materia satis onerosa, ita ut simplex consilium, ad obtinendam universalem et constantem

observantiam, non sufficeret. 6° Si Episcopus vel Princeps expressa lege iusserit consuetudinem esse servandam.

53. *Cur consuetudo, ut vim legis habeat, debet esse* ***in societate perfecta?*** Quia solae societates perfectae (cuiusmodi, ut dixi, sunt civitates, oppidi, paroeciae; non vero simplices familiae) legem *recipiendi* capaces sunt.

54. *Quid de consuetudine* ***ex errore*** *introducta?* Si populus introduxisset consuetudinem ex errore substantiali (credendo, v. g. se teneri ex lege aut voto, dum reapse lex non subsisteret aut votum cessasset); tunc consuetudo ipsa, nonnisi per accidens (nempe ratione conscientiae erroneae, vel ad scandalum vitandum) obligare posset. Quod tamen consuetudo ex errore provenerit, non praesumitur nisi probetur.

55. ***Quibus de causis*** *consuetudines vim legis habere possunt?* Distinguendum est imprimis inter societatem democraticam, in qua populus leges condit, et societatem monarchicam vel aristocraticam, in qua potestas legislativa ad Principem vel Senatum spectat. In societate democratica, causa obligationis in consuetudinibus est voluntas populi (utique Deo auctoritatem legislativam, propter ordinis necessitatem, ei praebente): populus enim, sicut verbis (v. g. in plebiscitis), ita et factis (scilicet moribus et consuetudinibus) suam voluntatem demonstrare potest. In societate monarchica autem (vel aristocratica) causa obligationis in consuetudinibus adhuc esse potest ipsa voluntas populi, sed non simpliciter, bene vero solum quia Princeps (vel Senatus) non obstet sed permittat; sic enim illa in parte potestas legislativa (utique tunc subordinata et revocabilis) in populo ipso remanet.

Sed ut plurimum superadditur alia causa, scilicet non permissio sola, bene vero imperium Principis consuetudinem servari iubentis. Imperium istud potest esse per legem generalem (quatenus inter leges Principis haec etiam adsit ut serventur omnia iura moribus introducta): aut per legem specialem, quae talem vel talem consuetudinem servari praecipiat: aut denique per legem non expressam, sed tacitam et exercitam, scilicet per iudiciales sententias et poenas transgressoribus inflictas.

Insuper causa obligationis interdum videtur esse ipsa lex naturalis, speciatim quoad consuetudines in mercatibus; quatenus scilicet populus talem vel talem agendi rationem ab initio ex sola convenientia (vel utcumque sine intentione se obligandi) introduxerit; postquam autem usus evaserit generalis et constans, iam necesse sit ut usus ipse tamquam conventio habeatur, et a quolibet (ne inordinationes, perturbationes et damna sequantur) inviolabiliter servetur.

Concludendum est itaque quod causae obligationis in consuetudinibus possunt esse tres, scilicet 1° voluntas populi; 2° voluntas Principis; 3° lex naturalis.

CAPUT VII.

DE INTERPRETATIONE LEGIS.

ARTICULUS I.

Notiones generales.

56. ***Quid est** interpretatio legis?*

Est declaratio alicuius obscuritatis circa sensum legis, si nempe obscurum sit, v. g. an talis vel talis casus sub lege comprehendatur: an lex ipsa obliget sub gravi vel sub levi: an obliget ipso facto, an vero solum post sententiam iudicis etc.

Dixi: *circa sensum legis*, quia hic est casus ordinarius. Caeterum obscuritas circa legis ipsius substantiam versari posset: si nempe obscurum esset utrum de vera lege ageretur.

57. *Quaenam sunt principales* ***interpretationis distinctiones?*** Interpretatio subit distinctiones imprimis ratione originis, et ratione efficaciae. Ratione originis, alia est *auctoritativa*, alia *consuetudinaria*, et alia *doctrinalis*. Ratione efficaciae autem, alia est *necessaria* et alia *probabilis*.

58. *Quaenam est interpretatio* ***auctoritativa?*** Est quae nedum in studio personali sed etiam, imo praecipue, in officio fundamentum habet, et datur ab iis qui imperii vel magisterii auctoritate gaudent in casu: cuiusmodi sunt 1° Qui legem tulit. 2° Eius superior, cui praecise quoad leges sit subordinatus (ut Episcopus Pontifici, non vero ut Episcopus Archiepiscopo). 3° Eius successor. 4° Eorundem vicegerentes, si hac interpretandi auctoritate sint praediti: ut Romanus Pontifex quoad leges divinas et Congregationes Romanae pro ambitu propriarum facultatum.

59. *Quaenam est interpretatio* ***consuetudinaria?***

Est quae usu et consuetudine stabilitur, et dicitur etiam *usualis* aut non *scripta*. Huiusmodi autem usus vel consuetudo potest esse *popularis*, et *iudicialis*.

Popularis contingit quando subditi universaliter et iam a longo tempore tali vel tali sensu legem intelligunt, vel tali vel tali modo illam esse servandam, sine ullo dubio censent.

Iudicialis autem contingit quando in iudiciis non amplius dubitatur de sensu legis, sententiae sunt semper uniformes, et iam (ut aiunt) *iurisprudentiae tranquillitas* efformata fuit.

60. *Quaenam est interpretatio* ***doctrinalis?*** Haec (quae dicitur etiam *privata*) datur a viris doctis, v. g. theologis, canonistis, iurisperitis, publicistis, phylosophis etc.; et proinde non in auctoritate, sed (ut modo dicebam) in solo studio fundatur.

61. *Explica nunc differentiam inter interpretationem* ***necessariam*** *et solum* ***probabilem.*** Necessaria (quae etiam *obligatoria* dicitur) est quae necessario acceptari debet; secus, solum probabilis erit.

62. *Circa interpretationem necessariam estne aliquid aliud notandum?* Notanda sunt sequentia.

I. Interpretatio necessaria potest esse *generalis* (ita ut obliget omnes), aut solum *particularis* (ita ut obliget solum personas quae ad Superiorem pro solutione dubii recurrerunt).

II. Necessaria generalis esse potest non solum interpretatio auctoritativa sed etiam consuetudinaria; imo interdum etiam doctrinalis. Dixi *interdum;* hoc enim verum est solum quando verus legis sensus a Doctoribus ita clare et concludenter demonstratus fuerit, ut iam amplius nullum dubium superesse possit.

III. Interpretatio generalis, sive auctoritativa sit sive consuetudinaria, est ad modum legis, et potest esse *simplex*, et *non simplex*.

Simplex (quae etiam *comprehensiva* dicitur) est quando mere declarat sensum legis, eo quod in illius verbis aliqua ambiguitas adfuerit.

Non simplex est quando aliquam mutationem in lege ipsa inducit.

Si legem restringat, dicitur *restrictiva;* et, si illam extendat, *extensiva* appellatur.

Sic itaque interpretatio auctoritativa vel consuetudinaria potest esse triplex, scilicet 1° comprehensiva; 2° restrictiva: 3° extensiva.

Restrictiva et extensiva est revera (in parte) *lex nova;* quae de se *non habet effectum retroactivum;* et solum *quoad leges humanas* contingere potest.

Comprehensiva autem (si certe solum talis sit) non est lex nova, eiusque auctor iure magisterii procedit; non vero iure legislationis, nisi quatenus inducit obligationem sic et non aliter legem interpretandi. Fieri potest etiam quoad leges divinas; atque semper habet effectum retroactivum; unde, si prius dubitabatur an talis vel talis actus esset validus, et si postea fieret declaratio de illius invaliditate (prout accidit in Bulla Sixti V quoad matrimonia eunuchorum), haec declaratio valeret etiam quoad actus ante illam celebratos.

Dixi interpretationem comprehensivam non esse legem novam *si certe solum talis sit;* si enim non ab eo qui legem tulit, sed ab alio fiat, sensus a legis conditore intentus saepe incertus erit; et proinde tunc aliquid legis novae intervenire posset; quasi scilicet declarationis auctor diceret: - - Quidquid sit de voluntate primi legislatoris, ego praecipio ut in posterum tali vel tali sensu lex observari debeat —.

Quatenus autem declaratio sit vere obligatoria, tunc *decisiva* vel *authentica* dicitur.

IV. Interpretatio particularis (nempe necessaria quidem, sed solum pro casu particulari), fit a iudice, vel utcumque ad modum sententiae: et proinde per se obligat solum personas, ad quas dirigitur.

Exempla habes in decisionibus plurimis Sacrarum Congregationum, et speciatim S. C. Concilii.

ARTICULUS II.

De interpretatione doctrinali.

63. Imprimis distinguendum est inter interpretationem iam factam ab aliis, et interpretationem adhuc faciendam.

64. *Quid notari debet circa* ***interpretationem iam factam ab aliis?***

I. Non semper interpretes meliores sunt theologi. Interdum quoad leges ecclesiasticas potius canonistae: et quoad leges civiles, potius iurisperiti meliores interpretes esse possunt.

Iurisperiti tamen sensum quidem legis quoad tribunalia, sed non quoad conscientiam respiciunt; et proinde quaestiones, an tales vel tales leges possint dare ius in conscientia, vel an etiam ante iudicis sententiam obligationem inducant; hae, inquam, quaestiones a theologis resolvi debent.

II. De interpretationibus antiquioribus non semper fidendum. Interdum enim leges novae, decreta nova, studia nova magisque accurata etc. efficiunt, ut interpretationes antiquae deserendae sint. Sed (quum hodie adeo facile sit novos libros evulgare) cavendum etiam ab auctoribus modernis, nisi iam valde, constanter, atque a tempore iam satis diuturno, probati sint.

III. Interpretem omnium aut fere omnium concordia certitudinem ordinarie constituit.

Dixi *ordinarie;* contingere enim potest (prout de facto interdum contingit) quod doctrina, etiam communissima, falsa reperiatur, eo quod plurimi aut fere omnes, re non perpensa, reproduxerint doctrinam alicuius primi doctoris magnae auctoritatis, qui tamen illo in puncto erraverit. Donec tamen falsitas detecta non fuerit, doctorum concordia certitudinem moralem constituit.

65. *Quaenam sunt* ***regulae fundamentales circa interpretationem adhuc faciendam?*** Argumentum istud in brevi compendio sufficienter evolvi nequit. Dico nihilominus quod regulae magis attendendae sunt sequentes.

Regula I. Si plures de eadem materia leges adsint, postrema speciatim, eiusque (quatenus locum habuerint) authenticas aut usuales interpretationes considerare oportet.

Errant ergo v. g. qui, codice nationali minime considerato, ad ius romanum recurrunt, ut casus resolvant.

Regula II. Pars dispositiva a parte prooemiali, atque a dictis incidenter et per accidens, sedulo distingui debet. Attamen, si in parte dispositiva adesset aliqua obscuritas, prooemium non raro verum sensum indicare potest.

Regula III. Ad rectam interpretationem tria deserviunt, nempe 1° verba legis; 2° mens legislatoris: 3° natura legis.

Regula IV. Quoad verba legis, imprimis valor verborum, attentis omnibus circumstantiis (v. g. temporis et loci in quo lex condita fuit, et interdum etiam styli particularis), considerari debet, ne quid pro quo accipiatur.

Deinde, si verba in se spectata haberent sensum naturalem, et habere possent etiam sensum improprium et minus usitatum, tunc sensus naturalis praeferri deberet improprio; nisi aliam fuisse mentem legislatoris vere sufficientibus signis arguendum esset.

Regula V. Quoad mentem legislatoris, imprimis semper excludi debent interpretationes, quae locum dant absurdis: ut puta si lex, (tali vel tali sensu illam intelligendo) evaderet iniusta, vel nimis dura; aut in praxi ad nihil vel fere nihil reduceretur; aut semper vel fere semper eludi posset, et sic inutilis evaderet: aut si talis vel talis interpretatio cum contextu non cohaereret et manifestis contradictionibus locum daret; aut denique si tali vel tali sensu intellecta a legibus praecedentibus discordaret, dum nulla ratio recedendi a iure pristino appareret.

In his itaque casibus, ad evitanda absurda atque inverisimilia, in sensu nedum nonnihil improprio, sed forte etiam notabiliter improprio, (intellige si necesse sit) verba legis ex mente legislatoris accipienda essent.

Regula VI. Quoad mentem legislatoris, observandum est insuper quod, ad illam detegendam atque adeo ad verborum sensum determinandum, ratio legis valde deservire solet. Ratio legis constituitur a motivis omnibus, quae legis-

latorem impulerunt ad legem ipsam condendam eiusque modum statuendum, et saepe non sunt solum illa quae forte in prooemio expressa fuerint.

Haec autem legis ratio deservit speciatim 1° ad verborum ambiguorum sensum determinandum, atque etiam interdum ad accipienda verba in sensu plus vel minus improprio; 2° ad coniiciendum quaenam restrictiones seu exceptiones subintelligantur; 3° aliquando ad legem ipsam ultra sensum strictum verborum, ad alios casus similes, extendendam.

Circa restrictiones vel exceptiones (quae etiam *epicheiae* dicuntur) notandum quod aliquae leges difficile illas patiuntur; cuiusmodi sunt leges irritantes, aut illae in quibus valde necessarium est ut publica uniformitas servetur, ne scandalum sequatur.

Circa extensionem legis ad alios casus, oportet imprimis ut in iisdem ratio adaequate seu perfecte eadem vigeat; nec sola similitudo aut identitas partialis sufficeret. Insuper principium de extendenda lege ad alios casus propter rationis identitatem (etiam adaequatam et perfectam) non est universale; unde aphorismus: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse legis dispositio*, cum mica salis intelligendus est: quandoquidem *ratio legis non est lex*, et in multis casibus eadem prorsus, aut etiam fortior et longe maioris ponderis ratio vigere potest, quin tamen lex ad illos extendatur. Oportet itaque, ut, praeter rationis identitatem, alia concurrant adminicula, quae clare ostendant, legislatorem non iam ius particulare et tali vel tali modo praecise restrictum constituere intendisse; bene vero eius mentem fuisse ut ad alios casus identicos lex extenderetur. Idque accidere solet speciatim in sequentibus casibus. 1° Quando agitur de lege mere declarativa iuris naturalis, et hoc ad alios casus extendatur. 2° Quando ratio cogens suadet, quod legislator solum exemplificative aliqua indicaverit; quatenus secus vel stultus vel iniquus fuisset. 3° Quando lex ad modum quidem resolutionis casus particularis loquatur, sed pro norma generali publicata fuerit (cuiusmodi sunt leges innumerae insertae in corpore iuris). 4° Quando ex una parte magna adsit necessitas ut lex tali

vel tali modo extendatur; et ex alia extensionem istam verba satis patiantur. 5° *In contentis;* in iis scilicet, quae in re, de qua lex loquitur, continentur (unde, v. g. qui potest dispensare a votis, potest etiam illa commutare), aut sine quibus res ipsa commode subsistere non potest (unde v. g. concesso iure visitationis, conceditur etiam ius procurationis). Attamen argui nequiret a maiori ad minus, si hoc minus esset diversae speciei, et in illo maiori vere non contineretur. 6° *In aequiparatis* (prout essent, v. g. episcopus et vicarius capitularis quoad actus iurisdictionis; mandans et executor: legitimus et legitimatus; ova et lacticinia etc.). 7° *In correlativis* (prout essent, v. g. sponsus et sponsa, emptio et venditio etc.). 8° Denique *in connexis* (prout essent, v. g. celebrans et minister, ecclesia et coemeterium). Attamen, quoad aequiparata, correlativa et connexa, quod dicitur de uno intelligitur etiam de alio ordinarie quidem, sed non semper; non enim semper aequiparantur in omnibus; unde oportet quod (attenta ratione legis) differentia non obstet; et notandum quod in odiosis differentiae etiam non magni momenti obstare possunt: unde, v. g. si poena lata esset contra mandantem, haec ad executorem non extenderetur.

Regula VII. Odia restringi et favores ampliari convenit. Haec regula significat quod in dubio leges odiosae in sensu stricto, et leges favorabiles in sensu lato intelligi debent.

Dixi *in dubio;* tunc enim dumtaxat regula valere potest, si videlicet neque ex verbis legis, neque ex mente legislatoris iudiciis supra recensitis cognitâ, neque ex ullo alio capite, certitudo assequi valeat. Agitur enim de regula subsidiaria, quae solum post praedicta iuvare potest.

66. *Quaelibet lex estne vel* ***odiosa vel favorabilis?*** *Et quomodo leges odiosae a legibus favorabilibus* ***distinguuntur?***

Non quaelibet lex est vel odiosa vel favorabilis, sed dantur etiam leges quae sub hoc respectu *neutrae* dici possunt.

Ad distinguendum autem an lex tamquam odiosa vel favorabilis vel neutra haberi debeat, adest regula generalis, et plura in particulari indicari possunt.

67. *Quaenam est* ***regula generalis ad distinguendum*** *an lex tamquam odiosa, aut favorabilis, aut neutra haberi debeat?*

Non ex eo quod, dum applicatur, sensum odii in subditis iniiciat, aut e contra ab iisdem tamquam favor accipiatur, semper concludi potest quod lex sit odiosa vel favorabilis; bene vero inspicere oportet rem istam principaliter a parte legislatoris; quamvis enim ordinarie lex quae tamquam odiosa aut favorabilis habetur a subditis, tamquam talis habeatur etiam a legislatore; tamen non semper est ita, sed potius aliquando contrarium verificatur.

Regula itaque generalis est sequens: — Si agatur de re, in qua legislator specialem parsimoniam adhibere debeat, tunc lex erit odiosa. Si e contra in abundando periculum difficile adsit, et oporteat vel expediat vel deceat ut Princeps abundet, maxime vero si aperte constaret quod valde favere ei cordi fuerit: tunc favorabilis erit. Si denique nec pro parsimonia nec pro abundantia quidquam speciale conspiciatur; tunc erit neutra.

68. *Quaenam sunt in particulari leges* ***odiosae?***

I. Leges *poenales.*

Non tamen omnes leges poenales sunt odiosae; excipienda enim sunt illa delicta, in quibus oporteat vel expediat, ut severissime procedatur; v. g. delictum laesae maiestatis, percussio clerici, et forsan enim sollicitatio in confessione etc.

II. Leges circa *tributa.*

III. Leges *irritantes* vel *inhabilitantes*, v. g. irregularitates, impedimenta matrimonii iuris ecclesiastici, et reservationes.

IV. *Correctio legis praecedentis;* unde si lex posterior ita interpretari possit, ut anteriori non deroget, id faciendum est; et, si duae adsint leges, quarum una, v. g. affirmet generaliter, altera vero (sive posterior sive etiam anterior) neget in casu particulari, supponendum est quod ambae subsistant, quatenus una sit regula, et alia sit exceptio.

V. *Deviationes a iure communi;* scilicet leges locales aut statuta particularia, quatenus a iure communi discordent.

VI. Ea omnia quae *scandali*, aut ecclesiasticae vel regularis disciplinae *relaxationis* periculum inducunt.

69. Notari potest hic incidenter quod non solum leges, sed quaedam aliae dispositiones, censentur odiosae, et proinde strictae interpretationis. Huiusmodi sunt *dispensationes* particulares non stricte debitae; *privilegia* particularia ad instantiam concessa, et rescripta ad obtinenda beneficia ecclesiastica. Adde praescriptiones. Adde speciatim ea quae, nisi stricte intelligerentur, *laesionem iuris tertii acquisiti* inducerent.

70. *Circa applicationem regulae de odiis restringendis estne aliquid aliud notandum?*

Supposito semper quod ex mente legislatoris, vel ex alia aliqua certa ratione, non constet de contrario, haec regula locum habet 1° Si verba sint vere ambigua (unde v. g. verbum *populus* in odiosis intelligeretur *excluso* clero). 2° Si verbum habeat sensum naturalem et sensum civilem seu usu iuris aequiparatum (unde, v. g. verbum *resignatio beneficii* in odiosis *morti beneficiati* non aequivaleret). 3° Si lex loqueretur quidem generaliter vel indefinite, sed aliqua distinctio vel restrictio, etsi non presse necessaria, tamen, omnibus inspectis, congrua videretur; unde principium *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* in odiosis saepe fallit.

Caeterum regula de odiis restringendis *non eo usque procedit, ut verba* ***in sensu valde improprio,*** *hac sola de causa accipi possint.*

71. *Quaenam sunt leges* ***favorabiles?***

Generatim sunt *quae beneficii ita naturam habent, ut aut nihil odii contineant* (eo quod nec subditos gravent, nec sint *contra* ius, leges vulnerando): aut, si quid odii mixtionem habeant, tamen necessitas, aut congruitas, aut voluntas large favendi praevaleat.

Veniendo autem ad particularia, leges favorabiles censentur esse sequentes.

I. Leges quae *facultates generales pro bono publico* (v. g. absolvendi, dispensandi, privilegia concedendi) tribuunt; quatenus scilicet bono publico expediat ut personae talis vel talis coetus generaliter easdem facultates habeant. (Hinc, v. g. Episcopi, qui iure ordinario possunt dispensare illegitimos ad ordines minores, possunt non solum filios naturales, sed etiam spurios et adulterinos dispensare). Idem dic de facultatibus delegatis, si sint generales.

II. *Privilegia generalia*, quae pro bono publico, vel ex causa pia aut utcumque valde favorabili, iure ipso concedun-tur. Huiusmodi sunt, v. g. privilegium fori (quoad clericos), privilegia Regularium, privilegia militum, pupillorum etc.

72. Hic quoque notari potest incidenter quod tamquam favorabiles habentur etiam quaedam dispositiones non ad modum legis sed aliter factae. Huiusmodi sunt 1° Privilegia atque gratiae et beneficia particularibus personis concessa (etsi essent contra ius) dummodo concessa fuerint a Principe *motu proprio*; quod semper et solum verum erit, si Princeps in concessionis litteris haec verba ponat. 2° Gratia quaelibet (etiam ad instantiam concessa) si aperte pateat quod Superior valde favere intenderit. 3° Dispensationes particulares, si sint omnino debitae, vel si *ad publicam utilitatem* concessae fuerint.

ARTICULUS III.

De interpretatione auctoritativa.

73. Interpretatio **est auctoritativa** quando (ut supra dixi) a Superiore ipso subditis suis datur; atque appellari solet *declaratio*.

Distinguitur nedum ab interpretationibus theologorum, vel canonistarum, vel iurisperitorum, nempe *ab interpretatione doctrinali* (ut supra); sed etiam a *sententiis iudicialibus*: dum enim declaratio versatur solum circa ius qua parte est obscurum, sententiae iudiciales versantur complexive tum circa ius (sive obscurum sive etiam clarum), tum circa factum, et sic decernunt an quis sit reus vel debitor.

Attamen etiam sententiae iudiciales deservire possunt ad producendam interpretationem certam iuris dubii; idque contingeret si uniformes essent atque multae; unde iam *iurisprudentiae tranquillitas* efformata fuisset, ut supra dicebam.

74. *An interpretatio auctoritativa locum habeat solum quando Superior* **legem propriam** *vel sui antecessoris, interpretatur* (1)? Negative, sed intervenit etiam

(1) Exemplum in quo legislator legem propriam interpretatur habemus in Benedicto XIV qui Bullâ *Apostolici muneris* bullam *Sacramentum Poenitentiae*, circa absolutionem complicis, declaravit.

quando quis subditis suis declarat quo sensu intelligenda sit lex Superioris altioris. Casus huiusmodi accidit speciatim quando Summus Pontifex aut aliqua Sacra Congregatio declarationem emittit circa aliquod punctum ad legem divinam (sive naturalem sive positivam) spectans. Accidit insuper in decisionibus, quas Episcopi, vel Superiores Regulares, vel etiam parochi subditis suis, aut confessarii suis poenitentibus dant.

75. *Loquendo de declarationibus provenientibus a S. Sede, quonam* ***tramite*** *dari solent?* Prodeunt interdum actu sive alicuius S. Congregationis (v. g. S. Officii, vel Concilii, vel Propagandae Fidei, vel Rituum etc.) sive S. Poenitentiariae; ita ut in actu ipso interdum dicatur: *Audito Sanctissimo,* et interdum non.

76. *Suntne semper* ***merae declarationes*** *legis in qua obscuritas aliqua adsit?* Ordinarie sunt merae declarationes ad aequivocum vel dubium aliquod eliminandum, et tunc dicuntur *comprehensivae;* sed interdum immiscent aliquid legis novae, dum scilicet lex nullum aequivocum continet, sed Superior illam sub aliquo respectu mutat, v. g. restringit, extendit etc.; et tunc interpretatio *extensiva* appellatur; quae omnia iam supra explicata fuerunt.

77. *Quid hodie exigitur ut interpretationes istae* ***valorem habeant?***

Exigitur fere solum ut sint *authenticae*, certe scilicet constet quod vere a Summo Pontifice vel a tali vel tali Congregatione vere emissae fuerint, neque in iisdem obstruncatio vel adulteratio ulla acciderit. Dixi *fere solum;* exigitur enim quoque ut vim suam non amiserint.

De authenticitate autem practice certitudo habebitur imprimis si insertae fuerint in illis collectionibus quae iam declaratae fuerunt officiales, cuiusmodi est quae inscribitur *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum;* et nunc (ex audientia SS.mi *23 Maii 1904*) etiam alia notissima, cui titulus *Acta S. Sedis*. Nihil dico de ipsis litteris encyclicis, quae ad Episcopos mittuntur. Sufficientissima quoque authenticitatis certitudo haberi poterit ex pluribus effemeridibus fide dignissimimis, quae non compendiose sed ad litteram declarationes ipsas referre solent.

78. *Si iam constaret de authenticitate declarationis, possetne opponi quod defuerit promulgatio: aut quod non dicatur consultum fuisse Pontificem; aut quod ab auctoritate non competenti emissa fuerit?*

Nulla ex his obiectionibus fieri potest: supposita enim authenticitate, omnino praesumendum est quod nihil necessarii omissum fuerit, et quod omnia recte et iuxta competentiam legitime processerint.

Loquendo speciatim de promulgatione, iam vidimus supra (*n. 34*), illam nequidem pro legibus totaliter novis talem solemnitatem esse essentialem, quum satis et abunde aliis mediis ad publicam notitiam certo certius deveniant; de facto autem fere nunquam promulgatae fuerunt declarationes comprehensivae, et hodie extensivae quoque raro vel rarissime solemniter promulgantur.

Loquendo autem de consultatione Pontificis, Sacrae Congregationes multas declarationes et multa decreta emittere possunt etiam non consulto Pontifice; unde praesumendum est quod talis consultatio vel non fuerit necessaria, vel (quamvis forte non expressa) praestita fuerit.

79. *Declarationes authenticae, quae a Summo Pontifice, sive ab aliqua S. Congregatione, sive a Sacra Poenitentiavia emissae fuerint, quum certe non omnes valeant eodem modo,* ***quid de differentiis?***

Differentiae sunt multae; sunt enim declarationes quae valent generaliter et in perpetuum; sunt aliae quae valent generaliter, sed revocatione aut aliis de causis cessare possunt; sunt aliae quae valent solum quoad personas particulares; denique, quamvis ut plurimum sint praeceptivae, aliquae sunt solum directivae, vel ad quietandam conscientiam tantummodo emittuntur.

Ad distinguendum autem casum a casu notanda sunt praecipue sequentia.

80. Si declaratio fiat ab ipso Summo **Pontifice loquente ex cathedra,** tunc valet generaliter et in perpetuum; sic enim, interpretando legem divinam (sive naturalem sive positivam), loquitur ad Ecclesiam universalem atque infallibilitate utitur; idque accidit v. g. quando actu proprie papali propositiones aliquas damnat.

81. Si declaratio procederet **ab aliqua S. Congregatione,** tunc, etsi accederet confirmatio Pontificis, actus non esset proprie papalis sed eiusdem Congregationis proprius remaneret, et proinde infallibilis non esset; tunc enim Pontifex infallibilitate uti non intenderet; unde sequitur quod decisio reformabilis et sine perpetuitate esse posset.

82. Attamen declarationes Sacrarum Congregationum atque etiam S. Poenitentiariae facile magnam vim habent et verissimam in conscientia obligationem inducunt; unde Pius IX in litteris *Tuis libenter* ad Episcopum Monachiensem dixit: « Cum agatur de illa subiectione qua « *in conscientia* ii omnes catholici adstringuntur..., agno- « scere debent sapientibus catholicis haud satis esse ut « praefata dogmata recipiant ac venerentur (quae scilicet « fuerunt ex cathedra definita): verum etiam *opus esse* « ut se subiiciant decisionibus, quae ad doctrinam perti- « nentes a pontificiis congregationibus proferuntur ». Haec autem subiectio debetur non solum quia agitur de viris sapientissimis et maximam in agendis quaestionibus dexteritatem et experientiam habentibus; sed etiam (imo praecipue) quia eorum iudicium est auctoritativum; datum scilicet auctoritate directionis a Deo ipso habita; quae auctoritas longe magis valet quam doctrina theologorum omnium. Scripsit S. Antoninus (apud S. Lig. *I 12*): « Non « commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, quia « pius etc.; sed quia tibi praepositus. Quamobrem obedias « illi, non ut homini, sed ut Deo ». Hoc verum est quamvis agatur de Superiore infimi gradus. Quid itaque quando agitur de Sacris Congregationibus Romanis? Quid maxime si declaratio facta fuerit *audito Sanctissimo*, et sic ipsa Pontificis (etsi non ex cathedra loquentis) auctoritas superaddita fuerit? Oportet ergo ut reverentia summa et submissione omnimoda decisiones huiusmodi excipiantur. Adde quod in Ecclesia ex una parte quoad doctrinas frequenter adest necessitas directionis, et quidem talis cui omnes parere debeant; et ex alia solis decisionibus ex cathedra (quae frequentes esse nequeunt) tali necessitati satis occurri non posset.

Huiusmodi tamen plenae submissionis obligatio non semper adest; sed ipsae S. Congregationes (vel S. Poenitentiaria) modo intendunt illam exigere et modo non.

83. Intendunt **plenam submissionem** exigere in sequentibus casibus.

I. Si adhibeant verba praeceptiva vel prohibitiva.

II. Si dicant rem fuisse diu perpensam ac mature discussam.

III. Si agatur de decreto formaliter generali (illud inscribendo v. g. *Decretum generale*, vel *Urbis et Orbis*).

IV. Si non ad modum responsi, sed motu proprio declarationes concessae simulque (sive per encyclicas ad Episcopos sive insertionem in publicis ephemeridibus) publicatae fuerint.

V. Si emissae quidem fuerint ad modum responsi, sed in re valde momentosa et pro norma generali, magnam praevidendo diffusionem.

84. Decreta generalia valentne semper in perpetuum? Ordinarie valent donec expresse non revocentur. Dico *ordinarie*: interdum enim cessant per se, sive quia cessent circumstantiae quarum intuitu emissa fuerint: sive etiam quia propter necessitatem cito respondendi, non adfuisset tempus rem sufficienter considerandi, et proinde responsum fuerit tale ut ab illo recedi possit vel etiam oporteat.

85. *Quid de* ***decretis particularibus?***

Haec in casu quidem, sed non in casibus similibus obligant. Enimvero 1° Responsum ad recurrentes quidem sed non ad alios dirigitur. 2° Si alii recurrissent, decisio potuisset esse diversa: non enim semper decisionis ipsius motiva sunt illa sola quae in casus expositione exprimuntur; et multae circumstantiae occurrere possunt in uno casu, quae plus vel minus sint diversae in alio; aliunde minima differentia sufficere potest, ut decisio prorsus opposita esse debeat. 3° In decreto generali maior ponderatio adhibetur. 4° Aphorismus dicit: *Res inter alios acta, aliis nec nocere nec prodesse debet.* Huiusmodi itaque decreta particularia (quae speciatim a S. Congregatione Concilii emitti solent, sunt ad instar sententiarum quae in tribunalibus pronuntiantur.

Attamen sicut plurium sententiarum uniformitas legitimam iuris interpretationem efformare possunt (ut dixi supra *n. 59*) ita etiam plurium decretorum particularium uniformitas sensum legis absolute determinare, et proinde veram etiam obligationem inducere possunt.

86. *Quid speciatim de declarationibus* ***S. Poenitentiariae?***

Iam dixi quod S. Poenitentiaria hodie non raro publicat declarationes, quae plenissimam obligandi vim habent.

Sed ut plurimum respondet ad personas privatas pro dubiis conscientiae. Tunc autem responsa habent vim auctoritativam solum quoad personas ipsas, quia non publicantur, sed ad illas tantummodo diriguntur. Attamen quoad earundem conscientiam vis auctoritativa est magna, speciatim quando quaesitum resolvitur directe, atque additur, rem fuisse mature perpensam.

CAPUT VIII.

DE LEGUM EFFECTIBUS.

87. *Quinam sunt* ***effectus*** *legum?* Leges possunt habere quatuor effectus, scilicet 1° Obligare, iubendo aut prohibendo. 2° Permittere aut ius dare. 3° Irritare vel inhabilitare vel rescindibilitatem concedere. 4° Punire.

88. *Quot modis leges possunt obligare, ius dare, irritare, rescindibilitatem concedere, et punire?* Multipliciter; et speciatim 1° Absolute; aut hypothetice seu conditionaliter (scilicet habito respectu circumstantiarum). 2° Ipso facto, vel (quoad rescindibilitatem) auctoritate privata (ut potest contingere in contractibus ex metu celebratis); aut solum post iudicis sententiam (exemplum habes in censuris *ferendae sententiae*).

89. *Quomodo cognoscitur an lex vere obliget, aut irritet, aut puniat etc.; et an id fieri intendat ipso facto, an vero solum post iudicis sententiam?*

Practice observanda sunt verba legis, et sedulo notandae sunt differentiae.

Verba, quae sine dubio obligationem semper important, sunt, v. g. *praecipimus, mandamus, imperamus, iubemus, prohibemus, interdicimus.* Verba autem *fieri debet, fieri oportet, cavendum etc.* interdum simplicem convenientiam indicare, vel simplex monitum de praecedenti obligatione vel necessitate includere possent. Nihil dico de verbis *expedit, convenit, decet* etc. — Verba *excommunicamus* vel *ipso facto excommunicatus existat*, distinguenda sunt ab aliis *excommunicetur, excommunicari possit, excommunicari debeat*, quae sententiam iudicis exposcunt. Verba *irritus sit, non valeat, pro infecto habeatur, inutiliter fiat, nullam obligationem inducat* irritant ipso facto; secus de verbis *irritetur, annulletur, rescindatur*. Verbum *fieri non possit* per se est ambiguum, an scilicet ad licitum, an vero etiam ad validum referatur. Communius tamen (si casus nullitati subiici possit) ad utrumque refertur.

Notandum quod multae leges civiles sunt solum pro regula tribunalium et obligant solum post iudicis sententiam vel instante parte. Exemplum habes in legibus irritantibus testamenta facta sine solemnitatibus praescriptis. Vide Lugo (*XXII n. 249*).

90. *Loquendo in particulari* ***de primo effectu, scilicet obligandi*** (*iubendo vel prohibendo*), *quot modis leges obligare possunt?* 1° Sub gravi vel sub levi. 2° Directe et indirecte.

91. *Explica quomodo leges obligent directe et indirecte?*

I. *Directe* obligant ad opera iniuncta, cum suis circumstantiis si forte circumstantiae quoque praeciperentur (v. g. ut diebus festis Missa audiatur in publica ecclesia). Idem dic de abstinentiis iniunctis.

II. *Indirecte* obligant (attamen iuxta explicationes suo loco dandas) 1° ad addiscendum quid ab ipsis praecipiatur; 2° ad ponenda media, ut praeceptum adimpleri valeat; 3° ad evitanda pericula, quae ipsam voluntatem in tentationem inducere possent (v. g. occasiones proximas peccatorum); 4° ad non provocandos alios ut legem transgrediantur; 5° interdum ad procurandum, ut alii (v. g. filii, famuli etc.) leges ipsas observent.

92. *Lex naturalis ad quid obligat?* Ad faciendum bonum et vitandum malum. Sed hoc recto sensu intelligi debet, et explicatione indiget.

93. *Quo sensu lex naturalis obligat ad faciendum bonum?* Non omne bonum, non scilicet omnes virtutis actus, lex naturalis praecipit: plura enim bona consulit

dumtaxat. Praeceptum itaque ad illa bona reservat, quae ad rectum ordinem adeo necessaria sunt, ut oporteat ut stricte praecipiantur : nec solum consilium sufficiat.

94. *Quo sensu lex naturalis obligat ad vitandum malum?*

I. Non rem quamlibet quae aliquo sensu mala dici possit, lex naturalis prohibet. Sic polygamia simultanea, antequam lege positiva evangelica prohiberetur, licita erat.

Sic etiam dicimus, v. g.: — Titius, vivendo in coelibatu (non amore virtutis), male facit —, nec tamen dicimus : — peccat —. Illa igitur dumtaxat a lege naturali sub culpa et poena interdicuntur, quae ita mala sunt ut illa ipsa interdicere oporteat atque expediat.

II. Quaedam sunt mala *absolute:* ita scilicet ut nunquam omnino sua malitia exui valeant, et ne Deus quidem possit ea reddere licita in circumstantia ulla (v. g. blasphemia, odium Dei etc.).

Alia sunt mala *non absolute:* ita nempe ut, mutatis circumstantiis, licita evadere possint. Huiusmodi sunt quae sunt mala aut 1° solum *accidentaliter* (v. g. auditio missae derelinquendo infirmum, copula coniugalis cum scandalo etc.); aut 2° *ordinarie* (v. g. occisio hominis, ablatio rei alienae, non adimpletio voti etc., quae licita evadere possunt; scilicet prima iure defensionis, secunda in extrema necessitate, tertia interveniente dispensatione vel excusatione legitima); aut denique 3° *seclusa speciali Dei permissione* (v. g. occisio innocentis, accessus ad alienas etc.).

95. *Lex humana obligatne si a subditis non acceptetur? Peccantne subditi si legem non acceptent, aut non acceptatam transgrediantur?*

Per se loquendo, lex obligat quamvis a subditis non acceptetur. Patet ex rei natura, et ex prop. damnata ab Alex. VII., quae dicebat: « Populus non peccat, etiamsi « absque ulla causa non recipiat legem a Principe pro- « mulgatam ».

Attamen dari possunt circumstantiae, in quibus lex non acceptata minime obliget. Practice sequenti modo casus resolvi debent.

I. Peccant imprimis qui sibi arrogant auctoritatem reiiciendi leges Ecclesiae, si sibi non placeant.

II. Supposita causa, quae omnino iusta videatur, potest fieri recursus ad legislatorem, ita ut pro interim lex suspensa remaneat, iuxta dicta *n. 40.*

III. Seclusa huiusmodi causa, peccant certe primi, qui legem reiiciunt illamque transgrediuntur.

IV. Si tamen ex una parte inobservantia fieret generalis eique sanior quoque subditorum pars accederet; et ex alia Princeps videret et taceret; tunc ex Principis ipsius conniventia lex abrogata censeretur: idque quamvis (ut ait Lessius *II.* VI *45*) metu difficultatum, ad non perturbandam Rempublicam, atque ad non provocanda mala maiora, Princeps taceret, et sic legem suam corruere sineret. Cf. Viva (*Prop. cit. 9. 15*), Gury (*I 98. 99*) et Lehmkuhl (*I. 226. 227*).

96. *An leges humanae extendi possint ad actus qui prius erant indifferentes?* Pro bono publico vetantur aut praecipiuntur multa, quae lege naturali nec vetarentur nec praeciperentur, et hoc sensu indifferentia essent.

97. *An leges humanae extendi possint, vel extendi censeantur ad actus occultos, aut internos, aut heroicos seu valde arduos?*

I. Ad actus *occultos* certe extendi possunt; et, quando lex aliquid prohibet, prohibitio ad actum etiam occultum ordinarie extenditur. S. Lig. (*I 100*). Nunquid enim, v. g. die veneris carnes comedi poterunt, dummodo occulte?

II. Ad illos actus *internos*, qui constituunt quid unum cum actu externo, qui praecipitur, lex certe extenditur: unde, praecepta, v. g. confessione, internae quoque dispositiones praecipiuntur. Actus huiusmodi dicuntur *mixti*.

Loquendo autem de actibus mere internis, theologi non conveniunt. Cf. Gury (*I 89*).

III. Ad actus *heroicos* (atque adeo ad ipsum sacrificium vitae) leges extendi possunt (ut patet exemplo confessarii quoad sigillum, et militum in praelio): sed solum pro casibus rarissimis; secus enim obedientia sperari non posset, et sic lex inconsulta redderetur. Hinc quando leges hanc vel illam actionem praecipiunt, facile ita intelligi debent, ut ad casus gravis et gravissimi incommodi obligatio non extendatur (exemplum habes in obligatione audiendi

Missam diebus festis); idque verum est quamvis de legibus divinis (v. g. de integritate confessionis) ageretur.

Sed haec omnia melius explicabuntur, ubi de causis ab obligatione excusantibus sermo habebitur.

98. *Leges obligantne semper et pro semper, scilicet pro singulis momentis?*

Quoad leges affirmativas (nempe *obligantes ad agendum*) negative: illae scilicet obligant quidem semper (intellige seclusa causa excusante vel eximente); sed non pro semper, ut per se manifestum est.

Quoad leges autem negativas (nempe *obligantes ad abstinendum*), illae non solum semper, sed etiam pro semper obligant. Hinc homo semper tenetur actus cultus exercere, sed non pro semper: a blasphemiis autem abstinere tenetur semper et pro semper.

Quod tamen leges negativae obligent pro semper, exceptionem habet circa illas, quae obligent ad abstinendum solum determinatis temporibus (v. g. quoad abstinentiam a carnibus); tunc enim obligatio pro semper intelligitur solum durante tempore obligationis.

99. *Quid de* ***secundo effectu legum*** *scilicet* ***permittendi et ius dandi?***

Leges permittentes efficiunt ut aliquid sit licitum, prout contingit in omnibus illis actibus sive externis sive internis, qui neque naturali neque positivo iure vetantur.

Leges autem ius dantes efficiunt; ut ab aliis hominibus quaedam exigere possimus ex iustitia: ne scilicet ab iisdem laedamur quoad bona vitae, famae, fortunae, honestae libertatis etc.

100. *Quid de* ***tertio effectu legis,*** *scilicet* ***irritandi, inhabilitandi, et rescindibilitatem concedendi?***

Lex *irritans* reddit invalidum actum, etsi forte iure naturae validus esset.

Exemplum habes in lege irritante matrimonium, quod contrahatur sine parocho et testibus.

Dixi *etsi forte iure naturae* etc.; interdum enim ipsum ius naturae actum invalidare potest, prout esset, v. g. matrimonium inter filium et matrem.

Irritatio autem, quae lege positiva statuatur, non semper intelligi debet de nullitate actus in conscientia; aliquando enim sensus legis est ut actus sit nullus solum

civiliter, ita ut actio in tribunalibus ad illum sustinendum non concedatur. In praxi videndum quo sensu lex intelligi soleat,

Lex *inhabilitans* reddit personam inhabilem ad talem vel talem effectum sive valide sive licite obtinendum.

Exemplum habes quoad validum in impedimentis consanguinitatis, affinitatis etc., et quoad licitum in impedimentis mere impedientibus, in irregularitatibus etc.

Invaliditas actus provenire potest tam ex lege irritante quam ex lege inhabilitante ; sed differentia est quia lex irritans directe, et inhabilitans indirecte actum ipsum invalidat.

Denique lex *rescindibilitatem concedens* efficit, ut actus validus postea suis effectibus obligationis, iurium etc. destitui valeat. Exemplum habes in contractibus ex metu iniusto celebratis.

Ex eo autem quod lex aliquem actum irritet, non semper sequitur quod illum prohibeat. Sic, v. g. testamentum informe irritatur, sed non prohibetur. Secus de matrimonio.

101. *Loquendo* ***de ultimo legum effectu,*** *scilicet* ***de poena,*** *quaeritur* 1° *An leges obligent ad poenam ante iudicis sententiam?*

Ordinarie negative ; nimis enim durum esset, ut quis sponte sua poenam sibi ipsi applicare deberet.

Excipe nisi ageretur de poena ecclesiastica, quae ex verbis in ipsa lege expressis ipso facto incurrenda esset. Poenae enim ecclesiasticae (v. g. censura, vel inhabilitas sive ad beneficia sive ad fructus beneficii faciendos proprios) interdum ipso facto, interdum solum post sententiam sive declaratoriam criminis sive condemnatoriam, incurruntur.

102. *Quaeritur* 2° *An reus poenam ei per iudicem inflictam in conscientia sustinere teneatur, an vero possit e carcere fugere?* Theologi dicunt communiter, illum posse fugere si agatur de poena valde dura et diuturna. S. Lig. (*IV 280*), Sed D'Annibale (*II 648*) dicit: « Existimo ho-
« die quoties impune per leges civiles, toties sine culpa,
« saltem gravi, in foro conscientiae reum evadere posse,
« quippe hodie reus non iubetur manere in vinculis, sed
« contineri ».

103. *Quaeritur* 3° *Quid de legibus statuentibus obligationem reparandi damna ob solam culpam iuridicam (scilicet negligentiam quae communiter supponitur, etsi de facto non adesset), ut puta, propter damna ab animali tuo causata: vel etiam quia aliquis inculpabilitatem suam probare non possit; prout in casu incendii, quod ubi plures inquilini sunt, excitatum fuisset, neque appareret apud quemnam initium sumpsisset?* Leges huiusmodi valent in conscientia post iudicis sententiam. Aliud esset si animal tuum nihil damni reapse causasset; tunc enim sententia non in lege, sed in falsis probationibus fundaretur: et sic non nisi per accidens (v. g. ratione scandali) obligare posset. Gury (*I 102*).

104. *Quaeritur* 4° *Leges, quae statuant poenam sed non obligent sub culpa, possuntne adesse, vel adsuntne revera?*

Quod leges huiusmodi, quae *mere poenales* vocantur, adesse possint, non est dubitandum. Non raro enim ex una parte sola inflictio poenae publico bono consulit sufficienter, et ex alia legislatores (hodie speciatim) de obliganda conscientia coram Deo facile ne cogitant quidem.

Ad iudicandum autem in casibus particularibus an de lege mere poenali vel mixta agatur, imprimis distinguendum est inter leges ecclesiasticas et civiles.

Leges ecclesiasticae non solent infligere poenam, nisi etiam obligaverint sub culpa, et quidem gravi (nisi forte de brevi suspensione vel levi mulcta ageretur).

E contra leges civiles in pluribus casibus solam poenam ferre intendunt. In praxi considerare oportet 1° quomodo communi sensu accipiantur (sic v. g. lex de solvendis vectigalibus pro mere poenali communiter intelligitur). Considerandum 2° an clare pateat quod per solam poenam non sufficienter bono publico consultum fuisset; tunc enim sub culpa quoque lex obligaret. Cf. Ballerini (*I 100 not. a*) et Lehmkuhl (*I 217*).

105. *An leges humanae* ***effectum retroactivum*** *habere valeant, scilicet ad praeterita extendi possint?*

I. Lex mere declaratoria certe habet effectum retroactivum: qui tamen proprie non legis ipsius sed praece-

dentis effectus est. Hinc si lex declaratoria decerneret, legem praecedentem intelligendam esse de irritatione, vel de obligatione etc.; tunc actus, qui prius locum habuerunt, considerari debebunt tamquam irriti, vel tamquam peccaminosi (etsi forte solum materialiter, propter ignorantiam sensus legis) etc.

II. Lex, quae novum ius constituat, nequit habere effectum retroactivum, quatenus sit praeceptiva vel prohibitiva: bene vero talem effectum habere valet quatenus sit poenalis, vel inhabilitans, vel irritans; efficere enim potest ut qui in antecessum tale delictum commiserint tali poena puniantur; vel qui talem defectum contraxerint talem inhabilitatem contrahant: vel qui talem contractum celebraverint iam nullum ius ex illo habeant.

III. Ut tamen lex huiusmodi vim retroactivam habeat, duo sunt necessaria, scilicet 1° ut legislator hanc suam esse voluntatem expresserit, et quidem verbis clarissimis; 2° ut nihil obstet; quaedam enim semel valida semper valida necessario sunt, prout matrimonium; unde, v. g. constitutio novi impedimenti dirimentis vim retroactivam habere non posset.

CAPUT IX.

DE LEGIS SUBIECTO.

106. *Quinam est subiectus legis?*

Est qui hic et nunc sub legis imperio versatur, ita ut, faciendo contra illam, peccet sive formaliter sive materialiter; aut, si nullo modo peccet (propter aliquam circumstantiam excusantem), per accidens sit. Quisnam autem hic et nunc sub imperio legis versetur, decisio pendet ab auctoritate et intentione legislatoris.

Veniendo autem ad particularia, distinguere oportet inter legem divinam sive naturalem sive positivam, et legem humanam sive ecclesiasticam sive civilem.

107. *Quinam est* ***subiectus legis naturalis?***

Est ipsa natura humana, et proinde quilibet homo.

Infantes quoque et perpetuo amentes legi naturali subiiciuntur. Si ipsi inordinationem committerent contra legem naturalem (v. g. furtum, homicidium, mollitiem etc.), etsi non formaliter (propter defectum liberae voluntatis), tamen materialiter peccarent; unde ab aliis ad res huiusmodi impelli nequeunt.

Dixi *si inordinationem committerent;* interdum enim quaevis inordinatio (propter ipsam dementiam) abesse posset, ut puta, si ridendi causa ad contumelias contra personam de hoc contentam preferendas mantecaptus impelleretur.

108. *Quinam est* ***subiectus legis divinae positivae,*** *nempe evangelicae?* Est pariter quilibet homo (intellige nisi ageretur de casibus in quibus vel solos baptizatos, vel solos sacerdotes, vel solos Episcopos etc. lex respiceret); promulgatio enim iam inde a praedicatione Apostolorum facta fuit, et per accedens est si multi infideles (eo quod Evangelii sufficientem notitiam adhuc non habuerint) a culpa fermali excusentur. Cf. Suarez (*De leg. X.* IV *24*). Qui itaque alicui infideli repudium vel polygamiam (contra legem evangelicam) consuleret, certe peccaret.

109. *Quinam est* ***subiectus legis Ecclesiae?***

Dico imprimis quod aliqui legibus Ecclesiae non subiiciuntur; et sunt sequentes.

I. *Infideles,* et cathecumeni (S. Lig. *I 154*); unde valida essent inter eos matrimonia, quamvis cum aliquo impedimento iuris mere ecclesiastici contraherentur. (Ballerini *I n. 92*),

II. *Perpetuo amentes,* etsi forte (ut sentit D'Annibale *I 191*) olim sanae mentis fuissent. Non enim est cur (secluso scandalo) Ecclesia eos ullo modo suis legibus subiicere velit.

Hinc tam infidelibus quam perpetuo amentibus licite darentur carnes diebus vetitis; atque etiam opera servilia diebus festis (salvo tamen praecepto naturali et divino, atque stiam seclusa publica perturbatione quietis festivae) imponi possent. S. Lig. *I 155. 4)* et Lehmkuhl (*I 137*).

Idem dic de *semifatuis,* qui bonum a malo satis non distinguant, et vix culpae venialis capaces esse valeant. D'Annibale (*I 191*).

III. *Pueri* quoque legibus Ecclesiae non sunt subiecti. Sed usque ad quamnam aetatem? Usque ad septennium

completum. Quid si ante septennium certe essent rationis compotes, vel post septennium dubitaretur an adhuc rationis usu pollerent? In his casibus communis christifidelium persuasio est, ut nihilominus septennium pro norma habeatur; et ratio esse potest congruentia habendi normam fixam atque ab omnibus absque ambage recognoscibilem, ut ex una parte scrupuli et ex alia laxitates evitentur. Regula ista saltem tamquam probabilis habetur a theologis communiter. (Cf. S. Lig. *III 270*).

Hoc tamen intelligendum dummodo lex divina non immisceatur; unde bene contingere potest, quod puer, qui peccatum mortale commiserit, etiam ante septennium ad confessionem obligetur.

Insuper pueri post septennium subiecti sunt quidem legibus Ecclesiae quoad abstinentiam a carnibus et auditionem missae etc.; non vero quoad illas leges (v. g. communionis paschalis et ieiunii), pro quibus maior aetas exigitur; et nequidem quoad censuras (nisi in lege expresse comprehendantur); censurae enim regulariter pubertatem exigunt. (S. Lig. *VII 14*).

Quid si puer complevisset quidem septennium; sed manifeste et non dubie rationis usu adhuc careret? In hoc casu (forte quia de dementia perpetua agi posset) septennium non consideraretur, et puer tamquam a legibus Ecclesiae exemptus adhuc haberi deberet. Ita theologi communissime.

IV. Qui autem amentia transitoria laborant, tamquam subiecti legibus Ecclesiae (durante quoque statu amentiae) a theologis communiter censentur; ita ut proinde tunc eis carnes diebus vetitis suppeditare (nisi ad medicinam) non liceret.

Attamen haec sententia non omnibus arridet, et Alasia (*De Leg. IV.* IV. I *18*) sentit, illos in tali statu legibus Ecclesiae minime subiici. Equidem de amentia diuturna id concedi posse videtur; sed de amentia brevi et lucidis intervallis habitualiter interpolata (non secus ac de somno aut de statu ebrietatis) nullo modo verum esse crederem.

V. Quoad haereticos, et schismaticos, Ecclesia certe ius habet legibus suis illos subiiciendi; sunt enim Ecclesiae filii, etsi rebelles et contumaces; neque profecto haeresis aut schisma potest dare ius reportandi commodum ex

rebellione atque a legibus exemptionem acquirendi. Cf. Litt. Ap. *Etsi fraternitas* Pii VII (apud Mansella *App. VI*).

Sed Ecclesia, quando legem fecit, habetne semper intentionem ad haereticos quoque illam dirigendi? Distinguendum est intes haereticos non ex secta, aut nuper subortos, et haereticos societatem proprie dictam iam a longo tempore efformantes cum suis ministris et templis a societate catholicorum omnino distinctam. Primos certe Ecclesia indiscriminatim cum catholicis, suis legibus afficere semper intendit. Theologi idem dicunt de secundis; sed hoc (saltem universaliter) verum esset nequit. Hoc patet quia leges debent esse utiles atque in aedificationem; et arguitur etiam ex eo quod Ecclesia sedulam curam semper habuit non extendendi legem de necessitate parochi, pro validitate matrimonii, ad regiones haereticorum. Cf. Mansella (*I.* IV. IV § *I*) et De Angelis (*IV.* III *8*).

110. Nihil dico de exceptionibus quae ex ipsa legis natura proveniant, unde in quibusdam legibus excluduntur impuberes et quaedam sunt solum pro clero etc.

111. *Loquendo de illis, qui legibus Ecclesiae certe subiiciuntur, estne aliquid notandum circa subiectum si lex sit* ***territorialis?***

Nulla certe difficultas quando (prout contingit in legibus generalibus aut Ordinum Religiosorum) lex est personalis, et obligat subditos ubicumque sint.

Difficultas adest in legibus territorialibus, cuiusmodi sunt leges Episcoporum, quae ordinarie respiciunt solos subditos et solum intra territorium; sed interdum etiam non subditos, vel subditos etiam extra territorium respiciunt.

112. Ut autem clare pateat quomodo res se habeant, praemittendum quod in territorio Dioecesis aliquis potest habere domicilium, aut quasi domicilium, vel esse peregrinus aut vagus, vel utcumque esse aut non esse subditus.

Domicilium contingit quando quis in loco habitat cum intentione ibi permanendi sive perpetuo sive donec aliquid avocet, atque ita ut si discedat intentionem redeundi habeat.

Quasi domicilium contingit quando quis retinens domicilium, ad alium locum se confert cum intentione illuc remanendi saltem pro maiori anni parte.

Peregrinus a theologis et canonistis dicitur ille qui retinens domicilium, alibi se confert, sed quin statuerit illuc remanere pro maiori anni parte.

Vagus est ille qui nullibi domicilium habet.

N. B. Notiones istae declarantur in *Theologia mor.* (*Vol. V 957-980*).

Subditus est qui in Dioecesi habet domicilium aut quasi-domicilium, nec est exemptus.

Non subditus esset qui in Dioecesi vel foret solum peregrinus aut vagus, vel haberet quidem domicilium sed esset exemptus.

Exempti sunt Regulares veri nominis ex lege generali Ecclesiae,

atque etiam alii ex speciali decreto S. Sedis. Idem dic de famulis Regularium. Sed de his omnibus vide *Theol. mor.* (*Vol. IV 723 et 725* VII).

His praenotatis, quoad subiectos legibus dioecesanis, res sequenti modo se habent.

113. I. **Habentes domicilium** vel quasi domicilium *legibus dioecesanis plene subiiciuntur*, *dum sunt in Dioecesi.*

Excipiendus est solus casus in quo ipsi essent *exempti;* quamvis ii quoque quoad aliqua (v. g. quoad festa localia de praecepto) legibus dioecesanis subiecti remaneant; idque minutius explicabitur in *Theol. mor.* (*l. c.*).

114. II. Quid de **peregrinis** quoad leges et privilegia tum patriae, tum loci in quo versantur?

Relate ad *leges patriae* (a qua tunc absunt) ordinarie illis non subiiciuntur; unde festa et ieiunia ad illam peculialiter pertinentia servare non tenentur; leges dioecesanae enim considerantur ut territoriales, quia ordinarie fundantur in consuetudinibus localibus et in necessitate uniformitatis.

Dixi *ordinarie,* quia interdum leges territoriales evadunt personales, prout contingeret in reservatione dioecesana pro discedentibus in fraudem, aut si lex episcopalis prohiberet vel censura afficeret aliquid quod committi posset extra territorium, sed territorium (v. g. residentiam) respiceret. Vide *Theol. mor.* (*Vol. II 608-611. Vol. IV 75-79. Vol. V. 210-217).*

Nihil dico de suspensione in dioecesi incursa, vel de praecepto particulari quo quis ligaretur; haec enim subditum ita ligarent ut ubique illum sequerentur.

Relate *ad privilegia patriae,* illis (quae pariter territorialia sunt) frui non possunt. Ita docent theologi communissime. Vide Scavini (*I 196*).

Exemplum esset in Mediolanensibus qui in primis quadragesimae diebus in patria quidem, sed non extra, a ieiunio eximuntur.

Relate ad *peculiares leges loci* in quo peregrini versantur, ipsi (loquendo semper de solis legibus ecclesiasticis) ordinarie ad illas non tenentur, quia illuc non sunt subditi, neque iura de illis expresse loquuntur, neque publicum Ecclesiae bonum exigit, ut (exceptis quibusdam casibus) ipsi subditorum obligationibus subiiciantur. Ita docent contra Suarez (*De leg. III.* XXIII) theologi valde communius cum S. Lig. (*I 156 et VII 24*).

Casus autem excepti sunt speciatim 1° si, non observando legem, scandalum sequeretur (ut puta si in festo locali peregrinus publice labo-

raret vel sacerdos theatrum adiret): 2° si lex alienigenas directe respiceret (v. g. circa ostensionem litterarum testimonialium pro Missa celebranda); 3° si ageretur de reservatione.

Relate ad *privilegia localia;* illis frui possunt. Patet ex generali consuetudine.

Exemplum habes in peregrinis, quibus in primis quadragesimae diebus Mediolani carnes comedere licet. Cf. Scavini (*l. c.*).

115. **Vagi,** qui patriam non habent, legibus localibus non subiiciuntur, quia in nulla dioecesi subditi sunt; localibus tamen privilegiis fruuntur, quia talis pro illis quoque consuetudo est. Cf. Scavini (*l. c.*).

116. *Quinam sunt subiecti* ***legibus civilibus?***

Legibus civilibus subiiciuntur cives et connationales, qui tales sunt propter nativitatem aut domicilium decennio continuatum, aut decretum reale (*Cod. civ. 2-10*).

117. Ut tamen his legibus revera subiiciantur, oportet ut non obstet *immunitas ecclesiastica;* quae potest esse 1° *Personalis*, nempe quoad clericos et religiosos, speciatim (per se loquendo) quoad servitium militare et privilegium *fori* (de quo vide *Theol. mor. Vol. IV 677*). 2° *Realis*, nempe quoad res sacras, v. g. matrimonium, beneficia, fundos et capitalia Ecclesiae etc.; 3° *Localis,* nempe quoad templa, monasteria, seminaria, coemeteria, palatia Episcoporum et domos parochiales; quae loca a iurisdictione laicali eximuntur, et iure asyli praedita sunt.

De his omnibus declarationes vide apud Vecchiotti (*I 101 II 54. 71*), Benedictum XIV (*De Syn. XII.* 11) et Lehmkuhl (*II 650*).

118. *An legi subiectus esse possit ipse* ***legislator?***

Legislator teneri potest ad suas leges observandas 1° Si ad leges fundamentales seu constitutionales servandas se obligasset. 2° Si ageretur de legibus conditis in comitiis popularibus vel a senatu; tunc enim populus et senatores ad illas servandas utique tenerentur.

Caeterum Princeps, qui non pro se sed pro subditis leges fecerit aut iam factas confirmaverit, ad illas servandas obligari nequit, nisi indirecte: quatenus scilicet non solum expedire sed interdum oportere potest, ut subditis bonum exemplum praebeat. Quid enim si Episcopus in vigiliis dioecesanis notorie carnes manducaret?

CAPUT X.

DE MODO LEGI VEL QUIBUSLIBET OBLIGATIONIBUS SATISFACIENDI.

119. *Sufficitne semper opus debitum (vel abstinentiam debitam)* ***adimplere quoad substantiam?***

Non semper; interdum enim circumstantiae aliquae praecipiuntur.

Exemplum habes in Missa de praecepto, quae non in oratorio privato, sed (secluso privilegio) in ecclesia audiri debet.

120. *Potestne opus poni* ***eodem tempore quo ponitur aliud opus*** *ad satisfaciendum alteri obligationi?* Affirmative, sub duabus conditionibus; scilicet dummodo 1° opera ipsa sint invicem ita compossibilia, ut unum alterum non impediat; 2° temporis diversitas non fuerit praescripta. Hinc, audiendo missam de praecepto, horae canonicae, et preces pro poenitentia sacramentali iniunctae (nisi confessarius aliud statuisset) recitari possent. (S. Lig. *I 166*). Sed aliud esset (propter incompatibilitatem) de studio pro schola.

121. *Opus debitum potestne adimpleri* ***eodem praecise actu, qui ad aliam quoque obligationem adimplendam dirigatur?***

In multis casibus affirmative, et in multis aliis negative.

Ordinarie sensus communis sufficit ad distinguendum casum a casu, iuxta diversam rei naturam, diversamque intentionem imponentium obligationem.

Debes v. g. recitare horas canonicas propter beneficium, et postea propter ordinem sacrum. Utique unica recitatio pro utraque obligatione sufficiet. Idem dic de filio cui pater iniungat ut praecepto paschali satisfaciat.

E contra debes Titio aureum ex mutuo, et aureum ex emptione. Debes audire Missam ex praecepto Ecclesiae; fecisti votum de una Missa audienda: confessarius poenitentiam tibi iniunxit unam audiendi Missam. Utique nec

unica aurei solutione, nec unica Missae auditione poteris obligationibus istis satisfacere.

Aliud esse posset si ex voto vel poenitentia sacramentali deberes per mensem vel annum quotidie audire missam; tunc enim sufficeret si missa quotidie audiatur, quin diebus festis duae audiantur; sic enim voventis vel confessarii intentio interpretari deberet. Vide S. Lig. (*I 166*) et Gury (*I. 107. 4*).

122. *Ut legi satisfiat, sufficitne si actio praescripta* ***quoad actum externum dumtaxat*** *apponatur?*

Videndum an lex solam actionem externam, an vero insuper aliquid aliud exigat.

Leges civiles ut plurimum de solo actu externo sunt sollicitae. Aliquando, vel in quibusdam circumstantiis, etiam aliis legibus solo actu externo satisfieri potest. Casum habes in infante recipiente baptismum, in moribundo sensibus destituto recipiente extremam unctionem; in solutione decimarum etc.

Caeterum ordinarie leges divinae et ecclesiasticae, nec non obligationes quae ex voto vel poenitentia sacramentali prodeunt, aliquid internum quoque exigunt. Exemplum habes in ieiunio aliisque abstinentiis, quae religiosum motivum et quamdam piam animi dispositionem comitem habere debent. Hinc obligatus ad ieiunandum ex poenitentia sacramentali aut voto, non satisfaceret si casu ex mero defectu cibi vel famis non manducasset. Idem verificatur etiam in missa audienda, quae attentionem exigit; et in sacramentis recipiendis, pro quibus dispositiones internae necessariae sunt.

123. *Quid* ***si lex determinet tempus,*** *quo opus iniunctum praestari debet?*

I. Si lex dicat *statim* vel *continuo* vel *quamprimum*, multi censent sufficere si intra triduum obligatio adimpleatur. (S. Lig. *VI 366 et 856*). At vero ex subiecta materia et circumstantiis arbitrio boni viri res erit aestimanda, et forte (maxime si dicat *quamprimum*) aliqua ultra triduum dilatio licere poterit. D'Annibale (*I 155*). Hinc v. g. neonatus baptizari debebit intra triduum; dum, solutio pretii pro re empta ordinarie maiorem dilationem patietur.

II. Si lex praecise tempus determinet, illudque latitudinem habeat, v. g. a mane usque ad meridiem (quoad auditionem missae); a dominica *palmarum* usque ad dominicam *in albis* (quoad communionem paschalem) etc.: tunc, incoepto tempore, si forte impedimentum praevideatur, obligationi, antequam illud superveniat, satisfaciendum erit.

III. Tempus aliquando designatur *ad sollicitandam obligationem* (v. g. quoad decimas solvendas, denuntiationes exequendas, missas acceptatas celebrandas etc.); et tunc, transacto tempore, obligatio magis magisque urget.

IV. Tempus aliquando designatur ad illud ipsum vel diem sanctificandum; et tunc ut plurimum est *ad finiendam obligationem*; et operis executio, si prius aut postea praestaretur, ad nihil (quoad praeceptum) deserviret. Exemplum habes in ieiuniis ab Ecclesia praeceptis, in festis, in recitatione breviarii etc. Dixi *ut plurimum:* interdum enim adimpletio non valeret antea, sed valeret postea (ut contingit in communione paschali); et interdum valeret non solum postea, sed etiam (praeviso impedimento) antea: prout in voto et in poenitentia sacramentali die designato adimplenda, contingere posset. (D'Annibale *I 155*).

124. *Quid si opus praescriptum praestitum fuerit, sed* ***defectuose?*** *Aderitne tunc obligatio illud repetendi?* Distinguendum est.

Non erit repetendum 1° si iam praeteriisset tempus quod ad finiendam obligationem statutum fuisset (ut in praedictis casibus ieiunii, festi etc.); 2° si agatur de obligatione reali (scilicet de re danda), et res male quidem (v. g. coacte), sed effective data fuerit; 3° si accesserit condonatio, remissio, vel utcumque satisfactio partis; 4° si in opere praestito adfuerit quidem defectus, sed accidentalis aut parvi momenti, unde credendum sit quod qui obligationem imposuit operis ipsius repetitionem non exigat.

Erit autem repetendum si tempus utile adhuc decurrat, obligatio sit personalis, remissio non accesserit, et defectus substantialis aut nimis momentosus fuerit. Exemplum habes in missa valde male audita, si alia adhuc audiri possit.

2598

125. *Quid si defectus fuerit quidem gravis,* ***sed solum quoad partem?***

Videndum imprimis an lex positiva expresse exigat ut pars omissa aut invalide praestita postea ponatur (Exemplum habes in baptismo quod sine coeremoniis privatim administratum fuerit). In aliis casibus, si actio sit congrue divisibilis (ut puta si quis unam horam canonicam invalide recitasset), tunc pars invalide praestita (etsi foret valde exigua respectu totius, v. g. completorium) supplenda erit. Si vero non sit divisibilis (ut auditio missae); tunc aut totum aut nihil (iuxta partis invalide praestitae gravitatem vel levitatem) supplendum erit.

Contingere potest etiam quod, si unum idemque opus deserviat ad satisfaciendum duabus legibus, defectus reddiderit invalidam unam et non alteram satisfactionem. Tunc repeti quidem debebit opus, sed solum per quantum necessarium est ut praeceptum non adhuc adimpletum adimpleatur. Exemplum habes, si quis in paroecia tempore paschali sacrilege communicasset; ille enim iterum quidem communicare (ad satisfaciendum praecepto communionis annuae), sed ad paroeciam redire non teneretur.

126. *Quinam defectus sunt ita graves, ut legi non fuerit satisfactum, et* ***opus repeti debeat;*** *vel e contra?* Regula generalis dari nequit; sed perpendendi sunt casus particulares. Attamen nonnulla statui possunt; prout in quaestionibus sequentibus.

127. *Quid si homo, dum opus praeceptum praestat,* ***sit in peccato mortali?***

Praecepta ordinarie etiam in hoc statu adimpleri possunt, ut per se manifestum est, et exemplum habes in ieiunio, auditione missae etc.

Imo etsi praecipiatur actus, qui statum gratiae exigat, non semper repetendus erit, eo quod in peccato positus fuerit. Patet ex missa pro populo, quam parochus repetere non teneretur, etsi in peccato illam celebrasset. Quod enim principaliter exigitur, est applicatio, quae ex opere operato semper valet, unde tunc per statum peccati substantia rei principaliter praeceptae non destruitur.

Casus itaque in quo, propter defectum status gratiae,

opus repeti deberet, esset quando, propter statum peccati, substantia ipsius rei praeceptae vere destrueretur, ut puta, si quis confessionem vel communionem annuam sacrilege peregisset.

128. *Quid si quis* ***in ipsa operis praescripti executione peccatum committeret?*** Respondendum est ut supra. Opus scilicet ita praestitum repeti deberet solum quando peccatum substantiam illius ita destruxisset, ut homo quod ei praecipiebatur non fecisset. Casus esset si quis toto tempore missae de praecepto ita confabularet, amasiam inspiceret etc., ut iam ad missam ipsam nullo modo vel non sufficienter attenderet.

129. *Quid de defecta* ***intentionis?*** Haec quaestio in tribus quaestionibus partienda est; scilicet: Ad satisfaciendum legi 1° Exigiturne intentio ponendi opus praeceptum? 2° Exigiturne intentio satisfaciendi legi? 3° Exigiturne intentio satisfaciendi fini legis? Claritatis gratia de singulis seorsim agendum est.

130. *Ad satisfaciendum legi, exigiturne* ***intentio ponendi opus praeceptum?***

Interdum exigitur, et interdum non.

Exigitur quando, seclusa tali intentione, opus ipsum praeceptum iam non poneretur aut poni non posset; saepe enim eadem intentio constituit partem operis praecepti, aut est medium necessarium ad illud ponendum. Hinc non satisfaceret, v. g. si quis obligatus ad missam applicandam, illam celebraret, sed applicationis intentionem non efformaret. Item si quis die festo ecclesiam ingressus ad expectandum amicum, vel ad inspiciendos ecclesiae ipsius ornatus, animadverteret quidem tunc missam celebrari, sed illam audiendi nullam intentionem haberet. Item si quis obligatus ad ieiunandum ex voto vel poenitentia sacramentali, nihil de ieiunio cogitans, ex ciborum vel famis defectu, materialiter dumtaxat ieiunaret.

E contra intentio ponendi opus praeceptum non exigeretur, quando, seclusa etiam tali intentione, opus praeceptum poni posset. Exemplum habes praecipue in plurimis obligationibus negativis, v. g. non blasphemandi, non furandi, non occidendi etc.; imo etiam in quibusdam obligationibus

positivis, maxime non personalibus sed solum realibus; prout contingeret v. g. in solutione debiti, quod absente quoque et inscio debitore, pro eo solvi posset etc. (1).

131. *Quid de intentione satisfaciendi legis obligationi? Quando scilicet exigitur intentio ponendi opus debitum,* ***exigiturne etiam intentio satisfaciendi obligationi?***

Tunc communissime respondent negative, et dicunt quod, dummodo ponatur opus debitum, obligationes adimplentur non solum quamvis nulla efformata fuerit intentio illas adimplendi, sed etiam quamvis explicite concepta fuisset intentio diversa; ut puta, si quis die festo audiret missam intendendo illam audire ex sola devotione, sive quia crederet esse diem ferialem, sive quia vellet postea audire aliam (falso scilicet reputando quod prima ex devotione audita ad satisfaciendum praecepto non sufficeret). Rationem adducunt quia lex exigit opus, non vero intentionem satisfaciendi legi; nec est in potestate nostra obligationibus non satisfacere quando opera debita iam praestantur. Hinc, v. g. frustra quis conciperet intentionem non satisfaciendi recitationi breviarii, casu quo futurum sit ut aliqualiter distrahatur.

Haec doctrina verissima est; sed habet exceptiones; interdum enim, deficiente intentione satisfaciendi alicui obligationi, opus poneretur, et obligationi ipsi non satisfieret.

Casus accidit quando opus quidem ponitur, sed cum alia intentione prorsus incompatibili. Exempla sunt sequentia.

Debeo celebrare iuxta talem vel talem intentionem; et illam celebro quidem, sed applico iuxta intentionem diversam.

Debeo recitare rosarium ex poenitentia sacramentali; sed illud recito exclusive in suffragium alicuius defuncti.

---

(1) *Quid si, dum exigitur intentio praestandi opus praeceptum; opus ipsum* ***ex vi et metu*** *positum fuisset?* Contingere potest quod, non obstante vi et metu, voluntas semper remaneat contraria; aut quod e converso vis et metus sint occasio qua voluntas mutetur. Sic, v. g. Titio nolenti ieiunare epulae subtrahuntur; sed ille nihilominus ieiunio non consentit. Caius e contra non vult se conferre ad audiendam Missam, sed quia in carcere vel in hospitali cogitur illam audire, aut quia metu patris se conferre ad ecclesiam compellitur, Missam audiendi voluntatem concipit. In primo casu praeceptum non adimpleretur; secus in secundo.

Debeo visitare ecclesiam ex voto; sed illam visito ad obtinendam aliquam gratiam, et cum intentione explicita non satisfaciendi voto: eidem satisfacturus alia vice.

Debeo satisfacere praecepto paschali; et ego ineunte quindena communico ad lucrandum iubilaeum, communicaturus postea ad satisfaciendum praecepto. S. C. Indulgentiarum *29 Maii 1841* et *10 Maii 1844*.

Debeo in festo audire missam; sed illam audio ad satisfaciendum poenitentiae a confessario impositae audiendi missam non obligatoriam.

Debeo centum Titio; et memor huius obligationis ei do centum in donum, atque adeo cum intentione pristinam remanendi obligationem.

132. *Exigiturne intentio satisfaciendi* ***fini legis?***

Theologi dicunt, finem legis esse duplicem: intrinsecum et extrinsecum.

Intrinsecus est ut ponatur opus vel abstinentia (v. g. ieiunium) modo debito; et hoc sensu utique exigi potest intentio (iuxta supra dicta).

Extrinsecus est, ut exinde talis vel talis effectus obtineatur (v. g. maceratio carnis ex ieiunio); et hoc sensu finis legis neque cadit sub praecepto (1), neque oportet ut de illo ulla intentio efformetur; imo lex ne vetat quidem ut (semper ac opus praescriptum ponatur) fini extrinseco intentio positive contraria habeatur.

Hinc, quamvis aliquis in prandio cibis valde substantiosis et lautis uteretur, ita ut nullum incommodum nullamque carnis macerationem ex ieiunio experiretur, nihilominus legi ieiunii satisfaceret. Cf. Salmant. (*XI.* II *147*). Aliud exemplum habemus in abstinentia ab operibus servilibus die festo; cuius abstinentiae finis est ut fideles operibus devotis vacent. Sed, quum finis legis non cadat sub lege, qui nequiret missam audire, ad alia opera pia non teneretur.

133. *Daturne facultas aut* ***obligatio opus praescriptum commutandi in aliud?***

Qui opus praescriptum exequi potest, nequit privata auctoritate illud commutare in aliud.

Si autem illud exequi nequiret; tunc, loquendo de legibus (et si impotentia certa foret) ad nihil teneretur. Hinc, v. g. qui nequit die festo audire missam, aut in vigilia ieiunare, aut breviarium recitare etc.; haec opera in aliis commutare non obligatur.

---

(1) Hoc tamen intellige nisi quatenus in opere ipso includatur et sic intrinsecus evadat; prout contingeret in praecepto confessionis. Tunc quippe finis intrinsecus est ut homo (adhibendo debitas dispositiones) in gratia Dei constituatur; unde qui in gratia constitui nollet, et sacrilege confiteretur, utique praecepto non satisfaceret.

Dixi *loquendo de legibus*; secus enim dicendum esset de quibusdam aliis obligationibus, v. g. de legatis piis, quae si non possunt adimpleri in forma designata, in alia simili adimpleri deberent.

134. *Quid si quis opus praescriptum non posset adimplere totaliter, sed posset* ***in parte?***

Ordinarie teneretur ad partem sibi possibilem.

Exempla. Qui creditori suo debet solvere centum, et potest tantum solvere unum, unum solvere tenetur. Obligatus ad ieiunium, si nequeat ieiunare totâ quadragesimâ, debet ieiunare pro parte qua potest (iudicio confessarii). Qui nequit ieiunare, sed potest abstinere a carnibus, ad hoc tenetur. Coniugatus habens votum castitatis, debitum reddere debet, sed nequit petere.

Attamen pars possibilis non caderet sub obligatione si a suo toto non congrue posset esse seiuncta, neque illius, qui obligationem imposuit, intentio esse potuerit ut pars ita seiuncta praestari deberet.

Hinc qui die festo partem tantummodo missae audire posset, ad illam audiendam teneretur quidem si v. g. a consecratione, non vero si solum post communionem usque ad finem illam audire posset.

Sed res istae melius explicabuntur *Theol. mor. Vol. II n. 506. 594.*

CAPUT XI.

DE CAUSIS QUAE AB OBLIGATIONE ALIISQUE LEGIS EFFECTIBUS EXCUSANT VEL EXIMUNT.

135. *Imprimis hoc in puncto suntne faciendae* ***distinctiones?***

Effectus legis pro aliquibus cessare possunt dupliciter; scilicet 1° per exemptionem; 2° per excusationem.

Exemptio efficit ut personae particulares a dominio legis subtrahantur; prout accidit, interveniente privilegio, vel dispensatione; aut dum aliqui eximuntur a legibus positivis propter aetatem, vel dementiam continuam; aut dum quis a territorio egrevitur et alibi moratur.

Excusatio autem non iam subtrahit personam a dominio legis, sed solum efficit ut qui remanet subiectus legi, ex aliquibus causis per accidens aliquando excusetur, et sive culpam sive poenam etc. non incurrat.

In hoc capitulo de his postremis causis, scilicet excusantibus, agam. De eximentibus postea.

136. *Quaenam sunt, vel esse possunt,* ***causae excusantes?*** Reducuntur ad duas. Prima est *ignorantia:* ad quam reducitur error, oblivio, inadvertentia. Altera est *impotentia* sive physica et absoluta, sive moralis; ad quam reducuntur varia incommoda, metus etc.

137. *Cur fit distinctio inter* ***exemptionem et excusationem?*** Quia effectus utriusque diversi sunt.

Imprimis facilius exemptionem et difficilius excusationem sibi vel alteri procurare licet; sic, v. g. occurrente festo locali potest quis solo motivo solatii abire a territorio atque ita eximi ab auditione missae; sed non potest ex eodem motivo intra territorium excusari ab illa.

Insuper exemptio aufert peccatum non solum formale, sed etiam materiale. Excusatio autem, quae proveniat ab ignorantia vel inadvertentia, peccatum materiale relinquit.

Hinc ad ponendum actum legi contrarium personam exemptam inducere licet semper; excusatam vero non semper; unde poterit quidem consilium dari alicui ut petat dispensationem pro esu carnis, eaque obtenta ad esum ipsum eundem impellere; sed personae non dispensatae cibos esuriales auferre ut cogatur vetitis se nutrire, aut ei ignoranti hodie esse vigiliam de carnibus comedendis consilium dare minime licebit.

ARTICULUS I.

Quomodo ab effectibus legum excuset ignorantia, error, oblivio, inadvertentia et dubium.

138. *Ignorantia excusatne ab omnibus legis effectibus?* Negative: sed facienda est distinctio inter culpam, poenam, et inhabilitationem, atque annullationem alicuius actus.

139. ***Ignorantia*** *excusatne* ***a culpa?***

Utique; dummodo tamen sit *invincibilis*, dummodo scilicet obligatio illam dissipandi non adfuerit atque in mentem non venerit. Tenetur siquidem unusquisque 1° scire praecepta Dei et Ecclesiae quae passim urgent atque ab omnibus observari debent; 2° cognoscere munera proprii

status et modum obligationibus susceptis satisfaciendi; 3° in dubio an aliquid liceat, consilium petere. In his enim casibus ignorantia esset vincibilis, voluntaria, imputabilis; et certe a culpa non excusaret; ipsa quippe ignorantia tunc culpa esset.

Notandum quod ignorantia potest excusare a culpa diversis modis; scilicet 1° si versetur circa legem, dum scilicet quis legem ipsam ignorat (quo casu dicitur *ignorantia iuris*). 2° Si versetur circa factum, dum scilicet quis cognoscit quidem legem, sed ex errore facti, non credit se peccare contra illam (quo casu dicitur *ignorantia facti*); et exemplum habes si quis occideret hominem credendo occidere feram. 3° Potest esse *totalis* vel *partialis*.

Ignorantia partialis excusat solum in parte (ut per se patet), et exemplum habes in eo qui accedit ad coniugatam, sciendo quidem illam esse non suam, sed ignorando esse coniugatam.

140. *Potestne dari* ***ignorantia invincibilis*** *et inculpabilis* ***circa praecepta iuris naturalis?***

Hodie passim dicunt, hanc ignorantiam dari non posse nedum circa suprema legis naturalis principia (quod iam certum est), sed nequidem circa eorumdem proximas conclusiones, cuiusmodi sunt praecepta Decalogi (Cf. S. Lig. *I 170*). At vero haec doctrina sic absolute prolata veritati conformis non videtur. Innumeri fatentur se diu remansisse in ignorantia circa vetita in sexto praecepto; speciatim quoad mollitiem solitariam, atque inordinationes in usu matrimonii. Imo S. Thomas (*De malo III.* VIII) scripsit: « Si « ignoretur deformitas, puta, cum quis nescit fornicationem « esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, « sed non voluntarie facit peccatum ». Idem dicit Sanchez (*Dec. II.* I *8*).

Hoc autem melius explicabitur et probabitur infra *Vol. V n. 326.*

141. *Ignorantia excusatne* ***a poena?***

Imprimis distinguendum est an de innocente, an vero de reo agatur.

Innocens, qui propter ignorantiam vel quodlibet aliud motivum vere non deliquerit, poenam subire non deberet. Rationes tamen alterius ordinis exigere possunt, ut illam

subeat, quatenus nempe iustitiae ministris (eos graviter laedendo) resistere non licet. Imo in ipsis poenis spiritualibus dantur casus, in quibus immerito excommunicati vel suspensi, ad vitandum scandalum, tamquam tales se gerere debeant.

Reus autem multo facilius potest non excusari a poena, illamque etiam ignoratam incurrere, quandoquidem culpa quidem a nobis, sed poena a superiore pendet; sufficit enim ut reatus subsistat; alioquin infideles, qui nescirent adesse poenam inferni, ab illa eximerentur.

Nihilominus adsunt poenae, quae (non obstante reatu) minime incurruntur, nisi cognitae fuerint; quia scilicet ipse legislator sic statuit. Hinc theologi distinguunt inter poenas vindicativas et medicinales.

Poenae *vindicativae* sunt quae in poenam delinquentis atque ad aliorum terrorem imponuntur; et istae nullam praeviam ipsarum notitiam exigunt. Exemplum habes in illis suspensionibus *ab homine*, quae, non praemissa monitione, ad meram poenam infligantur.

Poenae *medicinales* autem sunt quae eo fine statuuntur, et sive a iure sive ope particularis monitionis intimantur, ut subditi, poenam prae oculis habendo, a delicto abstineant atque ab inobedientia et contumacia compescantur, ut bene explicat Suarez (*Tom. V in 3 part. D. IV Sect. IX n. 19. 20*). Huiusce generis sunt excommunicationes, aliaeque poenae ecclesiasticae, quae ad modum censurae latae fuerint; unde Cap. II *de Constit. in 6°* dicit: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per « statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari no- « lumus ignorantes ». Exigitur tamen ordinarie ut ignorantia (suborto dubio) non fuerit crassa et supina (seu facile vincibilis), vel affectata (scilicet voluntarie retenta ad liberius agendum).

142. *Ignorantia circa inhabilitationem, vel nullitatem actus excusatne* ***ab inhabilitatione*** *vel* ***nullitate*** *ipsa?*

Aliqui (ut videre est apud Sanchez *De matr. IV.* XXXII *20-50*) id concedunt, quando inhabilitatio vel annullatio rationem poenae aliquo modo habeat, prout contin-

geret in irregularitatibus ex delicto, in impedimento criminis, in casuum reservatione, in privatione petitionis debiti coniugalis ob incestum etc. Utique si ratione ignorantiae delictum fuisset mere materiale, inhabilitates huiusmodi non contraherentur. Supposito tamen delicto formali, doctrina quod sola ignorantia irregularitatis, impedimenti, vel reservationis etc. excuset, admittenda non videtur, prout suis locis (nempe *Theol. mor. Vol. V 201 et 775 948*) declarabitur.

Certe in aliis casibus ignorantia et bona fides nihil suffragatur, et nullo modo efficere potest ut evadat validum id quod vi legis invalidum est, et reddatur aptus ille, qui vi legis ineptus est. Exemplum habes in matrimonio contracto cum aliquo alio impedimento dirimente, in irregularitatibus ex defectu etc.

143. *Quid de* ***errore, oblivione et inadvertentia?*** A culpa sicut ignorantia, ita etiam error, oblivio et inadvertentia, excusare possunt.

144. *Ab effectibus legis excusatne* ***dubium, aut opinio*** *quod illa non adsit?*

I. Quoad **culpam,** *dubium* (nisi ope reflexionum vel inquisitionum tandem deponi possit et reapse deponatur) non excusat. Et quidem homo agens cum dubio (propter periculum legem violandi) peccaret, etsi lex illa de facto non adesset: unde, durante dubio vel durantibus inquisitionibus, unusquisque tamquam obligatum se gerere deberet. *Opinio* autem de non existentia legis deservire posset (superadditis principiis indirectis atque operanti certis) ad deponendum dubium practicum et sic excusandum. Attamen si lex revera adesset, peccatum materiale semper remanere videretur.

Sed haec omnia melius explicabuntur in tractatu de conscientia.

II. Quoad **poenam,** *dubium* (quod ante delictum conceptum fuisset v. g. si quis ante procurationem abortus de censura dubitaret) efficere potest, ut ignorantia evadat nedum vincibilis, sed etiam crassa et supina, vel affectata; unde non amplius excuset ab illis poenis, a quibus ignorantia excusaret (iuxta supra dicta *n. 141 in fin*). Attamen quaedam censurae ita latae sunt, ut cognitionem perfectam

(dicendo *scienter*) exigant; unde ignorantia quaelibet ab iisdem incurrendis excuset (ut suo loco videbimus).

Opinio autem de non existentia poenae, si esset quoque apud interpretes, efficeret ut lex ipsa (quoad poenam) evaderet dubia, et proinde tunc ordinarie, ex regula: — *Odia sunt restringenda* —, pro exclusione poenae stari deberet.

Si vero lex esset clara, et opinio (utique erronea) esset solum in agente; tunc a formidine de opposito et a facilitate inquirendi (scilicet ab existentia vel non existentia praedictae ignorantiae crassae et supinae) decisio penderet, et redirent quae dicta sunt de dubio.

III. Quoad **annullationem actus** vel **inhabilitationes,** *dubium* particulare (et idem dic de opinione privata) nihil suffragatur; et, si actus sit revera nullus, vel persona sit revera inhabilis, res (non obstante tali dubio) semper in eodem statu remanent. Idem dic de opinionibus interpretum, si essent contra ius naturale aut divinum. (Exemplum habes in opinionibus quae olim aderant circa validitatem matrimonii eunuchorum).

Opiniones autem in iure positivo (si sint probabiles et valde diffusae) efficiunt, ut, pro communi bono et ne tot actus invalidi sint, lex cesset. Exemplum habes in reservatione, in impedimentis matrimonii etc., unde dici solet quod in opinionum probabilitate supplet Ecclesia. Sed haec omnia suis locis melius declarabuntur.

145. *Quid de dubio existente* ***post factum,*** *si nempe quis dubitet an irregularitatem, suspensionem, vel impedimentum matrimonii, vel excommunicationem iam incurrerit?* Ille tamquam irregularem, vel impedimento ligatum, vel suspensum, vel excommunicatum (donec, per congruas inquisitiones, et reflexiones certitudinem valide et licite agendi non acquisierit) se considerare deberet.

ARTICULUS II.

Quomodo a legum effectibus impotentia et difficultates excusare possunt.

146. *Quot sunt* ***impotentiae*** *et difficultatum* ***species principales?***

Impotentia potest esse *absoluta* et *moralis.*

Absoluta subdistinguitur, quatenus propter duas leges incompossibiles, aut propter physicam impossibilitatem, obligationi alicui satisfieri nequeat.

Impotentia moralis autem confunditur cum difficultate, si sit gravis aut gravissima. Levis difficultas non dicitur quidem impotentia, sed aliquando illa quoque interdum excusare potest, ut infra videbimus.

147. *Quid de impotentia propter* ***duas leges oppositas et incompossibiles?***

I. Haec contingit solum in casu stricto, quando scilicet leges contrariae ita simul eodem tempore concurrunt, ut homo, si observet unam, aliam observare nequeat, et casum declinare non possit, v. g. si quis aut Missam de praecepto aut infirmum sine assistentia relinquere cogeretur.

II. Quaestio itaque locum non haberet, *si casus declinari posset.*

Exemplum habes in parocho, cui invalide ex vitio occulto paroecia collata fuisset, qui ad vitandum scandalum sacramenta poenitentiae, matrimonii etc. administrare deberet, simulque (eo quod illicitum sit cum solo titulo colorato iurisdictionis actus exercere) deberet quoque a tali administratione abstinere. Ille quippe, paroeciam resignando vel sanationem implorando, casum evitare posset atque deberet.

III. Videndum etiam an aliqua ex parte lex observari posset.

Exemplum habes in eo qui cum voto castitatis matrimonium contraxit. Ille enim, ad servandam iustitiam, debitum reddere; sed, ad servandum pro parte possibili suum votum, a debiti ipsius petitione abstinere debebit.

IV. His praemissis, quaestioni propositae responderi debet distinguendo utrum (omnibus perpensis, et prudenti, si tempus suppetat, consideratione adhibita) lex una praevalcat alteri; an vero ambae obligationes sint aequales vel

(quod practice in idem recidit) distingui nequeat quaenam praevaleat.

V. In primo casu observari debebit lex praevalens. Sed circa istud aliqua notanda sunt.

1°) Praecepta quae vetant res intrinsece malas, omnibus aliis praevalent. Exemplum habes in occisione innocentis directe volita (quae scilicet ad modum finis vel medii procuretur, non vero ex causa ad alium finem posita praeter intentionem subsequatur). Item in fornicatione: item in luxuria pariter directe volita etc.

2°) Ordinarie lex naturalis divinae positivae, divina ecclesiasticae, ecclesiastica civili praevalet. Item bonum religionis bono reipublicae, bonum publicum bono privato, et virtutes altioris ordinis virtutibus inferioris ordinis (v. g. iustitia charitati) praevalent.

Hinc, v. g. sigillum sacramentale (propter bonum religionis), non obstante ruina reipublicae; et secretum commissum (propter bonum publicum) non obstante morte innocentis, servari deberet. Eucharistia ministranda est moribundo (ex praecepto divino), quamvis iam fregisset ieiunium (quod praeciperetur ex solo praecepto ecclesiastico) etc.

3°) Non semper verum est quod lex superioris ordinis legi ordinis inferioris praevaleat; gradus enim obligationis potest esse ita diversus, ut lex superioris ordinis, quae casu aliquo levissime obligaret, cedere debeat legi inferioris ordinis, quae gravissime obligaret.

Exemplum habes in auferente per vim ensem volenti hic et nunc aliquem occidere; tunc enim charitas levi illi iniustitiae praevaleret.

VI. Si autem obligationes contrariae hinc inde aequalis ponderis forent, aut quaenam praevalens esset non distingueretur; tunc stricta **perplexitas** interveniret, et homo pro lubitu suo alterutri satisfacere posset, atque deberet.

Exemplum habes in illo qui mane sanus ex devotione Eucharistiam sumpsit, atque eodem die repentino morbo correptus, in periculo mortis versetur. In huiusmodi enim circumstantiis, quum aeque videatur urgere ex una parte praeceptum Viatici: et ex alia praeceptum non communicandi bis in die, eo quod Viatico verisimiliter iam fuerit satisfactum; integrum erit moribundo se gerere prout voluerit. Bened. XIV (*De Syn. VII.* xi 2).

148. *Quid de* ***impotentia physica*** *?*

I. Impotentia physica contingit quando quis, ex causa sive ab extrinseco proveniente, sive in eo ipso existente,

ad aliquid faciendum vel omittendum prorsus et absolute cogitur.

Exemplum. Titius omittit Missam die festo, quia clausus in carcere vel gravi infirmitate in lecto detentus etc.

II. *Quoad culpam:* Impotentia huiusmodi certe a culpa eximit; ad impossibile enim nemo tenetur. Attamen 1° reatus adesse posset in causa; 2° impotentia partialis non excusat a toto; 3° impotentia physica, quae causetur vel resideat in corpore, stare posset simul cum culpa in voluntate, si nempe voluntas consentiret dum repugnare deberet.

Quod autem, et quo sensu, theoria de vi irresistibili admitti nequeat, videbimus infra in tractatu de actibus humanis.

III. *Quoad poenam*: Deficiente culpa, deficere quoque poenam, manifestum est. An autem, propter reatum in causa, aliqua censura incurri possit, videbimus suo loco. Certe, propter solum consensum internum, censurae non incurruntur; censura enim potissimum actus fori externi est. Bucceroni (*De censur. n. 14*).

IV. *Quoad effectum legum irritantium vel inhabilitantium:* Impotentia physica regulariter non excusat. Hinc mulier vi oppressa ab impedimento affinitatis non eximitur. (Cf. *Theol. mor. Vol. V n. 917*).

Dixi *regulariter:* quandoquidem 1° Quaedam leges irritantes cessarent, si impotentia absoluta in loco redderetur communis atque duratura, et sic lex in destructionem redundaret. Exemplum habes in impedimento clandestinitatis, si parochi omnes aufugissent nec essent rediturí. 2° Irregularitates ex delicto exigunt ut delictum fuerit formale; unde, si propter vim physicam illatam culpa defuisset, illae quoque cessarent. Idem dic de privatione iuris petendi debitum coniugale, quae non incurreretur ab uxore, si per vim incestuose a consanguineo mariti cognita fuisset.

149. *Quid de impotentia non physica sed solum morali quoad excusationem a culpa?*

I. Impotentia moralis consistit in magno incommodo sive corporali, sive spirituali, sive proprio, sive familiae etc.

II. In quibusdam legibus, sive propter rei naturam, sive propter maximam summi rigoris necessitatem, sive

propter periculum hallucinationis, oportet ut impotentia, quae moralis sit tantummodo, nunquam excuset; unde, non obstante sacrificio vitae aut alio quovis malo, lex observari debeat. Exemplum habes in violatione sigilli sacramentalis, in fornicatione, in mollitie, in occisione innocentis etc. Attamen ad solos casus directe volitos huiusmodi rigor extendi solet; unde quoad fornicationem distinguere oportet quatenus consideratur in agente impudice, aut in muliere per vim oppressa; qua de re vide *Theol. mor. Vol. II 725.*

II. In aliis legibus (non solum humanis sed etiam divinis et naturalibus) impotentia moralis (ne gravamen immodicum aliam praeponderantem producat inordinationem) excusat ordinarie; sed aliter et aliter, atque cum multis (et aliquando magnis) differentiis inter casum et casum.

Interdum excusat solum incommodum *gravissimum* (v. g. mortis aut mutilationis). Exemplum habes in ablatione rei alienae, invito domino: quae solum in extrema necessitate (saltem si agatur de re notabilis valoris) licita esse potest.

Ordinarie autem excusat incommodum plus vel minus *grave*. Exemplum habes in praeceptis ieiunii, abstinentiae a carnibus diebus vetitis, auditionis missae, recitationis breviarii, et generatim in mandatis Ecclesiae; unde dici solet: « *Ecclesia non obligat cum gravi incommodo* ». Idem dic de pluribus legibus divinis aut naturalibus, ut puta quoad abstinentiam ab operibus servilibus die festo, integritatem confessionis, restitutionem, adimpletionem voti, charitatem etc.

Denique interdum excusat etiam incommodum *leve;* interdum etiam si obligatio levissima et materia levissima foret (ut puta, si de oboli tantummodo restitutione ageretur), causa aliqua, quae superaddatur (etsi non gravis) culpam illam levissimam ad nihil reducere posset.

III. Quum autem distinctiones istae nimis generales et vagae sint, atque sive nimio rigori, sive nimiae laxitati aditum dare possint, aliae regulae pro praxi suppeditari debent.

150. **Regula I.** Quum agatur de rebus, quae saepe ope ratiocinii vix, ac ne vix quidem, praecise determinari possunt, *standum est sensui communi*, et praxi proborum. Si enim in loco sensus communis dictet quod, non obstante tali vel tali incommodo (forte etiam valde gravi vel gravissimo), aliqua lex observari debeat; quatenus, si secus fieret, scandalum sequeretur; tunc incommodum illud certe non excusaret.

151. **Regula II.** Solum incommodum intrinsecum, quod scilicet in opere praecepto ordinarie vel necessario

(v. g. in restitutione, in confessione etc.) includitur, excusare nequit. Idem dic si idem incommodum intrinsecum, adaugeretur quidem, sed ita ut ea de causa exceptio constitui nequeat; quatenus, si constitueretur, propter periculum hallucinationis, lex ad nihil vel fere nihil reduceretur. Exemplum habes in verecundia confessionis integritatem comitante; quae excusare nequiret, quamvis forte in his vel illis poenitentibus (propter eorundem indolem) extraordinaria prorsus et gravissima foret.

Aliud esset de aliis incommodis accidentalibus, prout v. g. contingere posset quoad confessionem valde prolixam in infirmo, cum periculo ne morbus ingravesceret, aut confessio nonnisi aliis audientibus fieri posset etc.

152. **Regula III.** Causa (saltem proxima), quae iam in se ipsa culpabilis et reprehensibilis sit, excusare non potest. Exemplum habes in lucro illicito (pro quo, v. g. missa praetermitteretur), vel in illis respectibus humanis, qui a bonis christianis nunquam haberi debent. Aliud esse posset si non iam ageretur de verecundia se ostendendi christianum, sed de timore aliorum malorum, quae incommodum vere grave et extraordinarium, et pro omnibus sufficiens ad excusandum, constituerent. Exemplum habes si quis ad missam audiendam subiret periculum mortis ab impiis sibi inferendae.

153. **Regula IV.** Considerandae sunt circumstantiae.

Sic, v. g. aliud est si agatur de lege positiva quae in pleno vigore sit, atque in loco diligentissime observetur (tunc enim ad excusandum causa maior exigitur); et aliud si lex ipsa iam communiter infringeretur eiusque observantia iam fere omnino collapsa esset.

Speciatim considerari deberet circumstantia scandali (v. g. die festo laborando publice); maxime vero si in legis ipsius (sive divinae sive ecclesiasticae) contemptum opus vetitum praecise exigeretur; tunc enim non de sola legis violatione, sed de contemptu Dei ipsius vel Ecclesiae, res esset; et talis contemptus facto ipso demonstraretur. Hoc autem theologi dicunt nunquam (ne ad vitam quidem salvandam) licitum esse posse; quod verum est, saltem si protestatio in contrarium (protestando scilicet quod opus

vetitum ad vitanda mala comminata, non vero ad contemnendum Deum vel Ecclesiam, ponitur), non emitteretur; aut si honor Dei vel religionis omnino clamaret protestationem illam non sufficere, et mortem potius omnino sustineri debere.

Aliud pariter esse solet si de praeceptis negativis (v. g. non surripiendi res alienas, non dandi scandalum etc.); et aliud si de positivis (v. g. restituendi, corrigendi peccatorem etc.) agatur; negativa enim strictius positivis (in quibus maius inesse solet incommodum) obligant.

154. **Regula V.** Metus, eo quod non tollat voluntarium, non tollit culpam in rebus intrinsece malis; sed illam auferret in aliis rebus, si incommodum (quod ex metu oriretur) esset tale ut iam ad excusandum a culpa sufficiens foret.

155. *Quid de impotentia morali, et speciatim de metu quoad excusationem* ***a poena?***

I. Si hac de causa cesset culpa, poena quoque (per se loquendo) cessare debet. Miles, v. g. metu gravi coactus ingreditur monasterium et sic clausuram violat.

II. Si vero (ut in homicidio, abortu aliisque casibus innumeris contingere posset), non obstante quovis incommodo vel metu, culpa adhuc remaneret, tunc nihil vetat quominus iure naturae poena quoque, sicut a Deo ita etiam a potestate humana sive ecclesiastica sive civili, infligi valeat. An autem poena infligatur reapse, a voluntate legislatoris pendet.

Certe poenae civiles, speciatim militares et maxime tempore belli, non obstante quocumque metu, reapse infliguntur et gravissimae sunt.

Poenae autem ecclesiasticae, quae ad summum sunt censurae, interveniente metu gravi, quamvis culpa adhuc subsisteret, ordinarie cessant.

Equidem olim perdurante culpa perdurabat etiam poena (1); sed lex canonica hoc in puncto obsoleta evasit;

---

(1) Clemens III (Cap. *Sacros de iis quae vi*) sic decrevit: « Distin-« guimus autem utrum is, qui communicat cum excommunicatis invitus, sit « per coactionem adscrictus aut per metum inductus. In primo casu (*sci-*

qua de re testes habemus theologos fere omnes cum Suarez, et S. Ligorio (*VII 46*); unde rectissime Ballerini (*Op. th. Tr. XI n. 159*) dixit: « Communis imo commu-« nissima est sententia, etiam in hoc casu metum excu-« sare ». Attamen haec ipsa sententia quasdam apponit exceptiones, quae fere reducuntur ad casum in quo bonum publicum (speciatim fidei et religionis) clamet ut non solum obligatio sed etiam censura perduret. (Baller. *l. c. n. 160).* Certe autem exciptio fieri deberet si in lege ipsa explicite vel evidenter includeretur etiam casus, in quo metus incussus fuisset, prout in acceptatione duelli facile contingit, ut notat Génicot (*II 571*). Vide etiam *Theol. mor.* (*Vol. V n. 1108*).

156. *An impotentia moralis excuset* ***in legibus irritantibus?*** Negative.

Patet enim manifestissime quod in legibus irritantibus intentio legislatorum est, ut epicheis non subiiciantur. Illae (propter commune bonum) irritant actum directe, ita ut sola dispensatio ipsarum effectum tollere possit; unde *inexorabiles* dici solent. Hinc si volens uxorem ducere suam consanguineam, cogeretur metu mortis ante dispensationis adventum contrahere matrimonium cum illa, invalide contraheret.

Duae dumtaxat esse possunt exceptiones; scilicet 1° Si ab ipso legislatore eiusve successoribus sive expresse sive tacite cautum fuisset, ut in tali vel tali casu moralis necessitatis (prout in reservationibus, in absolutione complicis saltem in periculo mortis etc., ut suis locis explicabitur) actus valeret. 2° Si impotentia moralis ita communis evasisset, ut lex tamquam bono publico noxia amplius valida esse nequiret, v. g. quoad impedimentum clandestinitatis si parochi inveniri non possent; qua de re vide *Theol. mor.* (*Vol. V n. 951*).

Quando autem lex communi bono utilis esse perdurat,

« *licet coactionis*) talem non credimus excommunicatione teneri, cum pati « magis quam agere videatur. In secundo (*scilicet metus*), licet metus « attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo « metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe « credimus inquinari ».

ad consulendum casibus particularibus sufficere censentur dispensationes; quae tamen, occurrentibus circumstantiis urgentissimis, interdum dari possunt etiam a superioribus localibus, v. g. Episcopis vel Parochis.

Exemplum habes in dispensatione impedimenti dirimentis, si, dum omnia ad proximum matrimonium iam sunt parata, illud detegeretur. Vide *Theol. mor.* (*Vol. V n. 849*).

157. *An impotentia moralis excuset* ***in legibus inhabilitantibus quidem sed solum quoad licitum?***

Casus iste contingere potest, v. g. in excommunicatis, suspensis, interdictis, irregularibus, detentis (quoad matrimonium) aliquo impedimento solum impediente, vel privatis petitione debiti coniugalis ob incestum etc.

Utique impotentia moralis (scilicet extraordinaria necessitas deveniendi ad actus, propter excommunicationem, suspensionem etc., prohibitos) efficere potest aliquando, ut dispensatio praesumpta sufficiat, et aliquando ut vera excusatio constituatur; ita tamen ut circumstantiae attente considerari debeant; diversitas enim inter casum et casum facile intervenit, et saepe (prout in propriis locis melius explicabitur) difficultas quae in uno casu sufficit, in alio insufficiens esse potest.

CAPUT XII.

DE CAUSA EXIMENTE MIGRANDO AD LOCUM UBI LEX NON VIGET.

158. ***Quo sensu*** *hic intelligi debet quod aliqua lex alicubi non vigeat?* Intelligi debet quatenus lex ecclesiastica sive particularis (ut vigilia vel festum Sancti Patroni), sive generalis (ut ieiunium etiam in primis diebus quadragesimae), quae urgeat in patria, non urgeat in loco (v. g. Mediolani) ubi quis se conferat. Si tamen lex illuc non observaretur solum quia infideles vel haeretici in illo loco degerent; tunc catholici, qui illuc se conferrent, nullam ex tali inobservantia exemptionem habere possent.

159. ***Quot modis discessus a patria*** *contingere potest?*

Distinctio principalis est an discessus in fraudem legis, an vero sine ulla fraude, contingat. Dicitur *in frau-*

dem legis quando quis a patria eo solo motivo recedit ut legi se subtrahat, ex intentione scilicet ut legis ipsius oneri et incommodo non subiiciatur: dum, si lex non adesset, minime discederet.

Deinde contingere potest quod quis recedat ante inceptum tempus obligationis; vel quod recedat aut redeat decurrente tempore obligationis ipsius.

Contingere potest denique quod quis extra patriam satisfaciat legi, et postea, rediens in patriam, legem ipsam cui iam satisfecit inveniat, quae illuc serius urgeat.

De his singulis casibus aliquid dicam, et incipiam a casibus in quibus discessus minime in legis fraudem contigerit.

160. *Quid itaque si quis* ***ante incoeptum tempus*** *obligationis sine fraude legis a patria discedat?* Potest licite discedere; lex enim obligat illos qui sunt in territorio: non vero obligat quemquam ut in territorio remaneat. Discessu autem secuto, ad nihil tenetur iuxta hypothesim, uti patet.

161. *Quid si quis sine fraude legis discedat,* ***decurrente tempore obligationis,*** *vel, illo non adhuc finito, redeat?* Regula generalis est quod dum quis in patria degit, patriae legem observare tenetur; et solum excipiendi essent casus, in quibus ipse discessus crearet rationem specialem, propter quam ad legem observandam non amplius teneretur. Sed hoc explicatione indiget.

162. *Quinam sunt isti casus, in quibus propter discessum constitueretur ratio specialis, quae a lege in patria observanda liberaret?*

Primus est *si obligatio reddita fuisset impossibilis*, prout contingeret in ieiunio quoad unicam comestionem: nempe 1° Si quis, incoepto iam die ieiunii (v. g. in vigilia S. Patroni), pergere vellet ad locum ubi non ieiunatur; quum enim illuc plures comestiones facere possit, iam ex hoc ipso ad unicam comestionem eo die obligari nequit; et proinde etiam ante discessum, et iam iam illico discessurus, abunde manducare posset. 2° Si quis extra patriam ieiunium fregisset; rediens enim in patriam,

ad ieiunium (quod iam fractum fuisset) amplius obligari nequiret.

163. Secundus casus est *si exemptio subsecutura, per recessum a patria, satisfactionis locum tenere debeat.* Exemplum habes si quis horis matutinis festi localis recessurus esset a patria; ille enim certe sciens se eo die (ante finem obligationis) evasurum esse prorsus exemptum ab onere audiendi Missam, illam in patria audire non tenebitur; perinde enim esset ac si quis haberet debitum solvendi centum scutata intra annum, atque sciret se ante finem anni plenam remissionem obtenturum fore: posset enim tunc ad solvendum debitum se inhabilem reddere. (Laymann. *I* IV. XI. *6*).

Ad summum intervenire videretur difficultas, si in patria adhuc esset, dum ultima (etsi longe ante meridiem) legeretur missa. Dixi *ad summum;* Ballerini enim (*Opus Theol. I 189*) contra S. Lig. (*I 157*) ne hoc quidem verum esse credit. Sed in his rebus adeo minutis non refert immorari.

164. Tertius casus est *si extra patriam satisfactio iam intervenisset;* non enim convenit quod quisquam bis eidem praecepto satisfacere teneatur.

Sic qui, occurrente festo locali, audivit missam extra patriam (si consuetudo sit ut sic etiam praecepto satisfiat), rediens in patriam, aliam missam audire non teneretur. Idem dic de Gallo qui degens in Italia ieiunasset in vigilia S. Petri: ille enim non teneretur (secluso scandalo) iterum ieiunare in Gallia ubi haec vigilia ad sabbatum sequens transfertur.

165. *Quid si ex discessu nulla ex huiusmodi rationibus constitueretur?*

Tunc, tam ante discessum quam post reditum, decurrente tempore obligationis, standum esset regulae generali (ut dixi mox supra *n. 161*), et lex observari deberet. Hinc 1° qui, decurrente ieiunio locali, redit in patriam ieiunio non fracto, ieiunare tenetur: 2° Ieiunio autem fracto aut frangendo extra patriam, ante discessum vel post reditum poterit quidem in patria alias comestiones superaddere, sed a carnibus abstinere debebit. 3° Si de die festo ageretur, poterit quidem quis ante discessum horis matutinis abstinere a missa audienda (ut dixi); sed neque ante discessum neque post reditum operibus servilibus incumbere posset; et, si rediret in patriam ante meridiem, missam (si adhuc adesset) audire teneretur etc.

N. B. De his omnibus vide *Theol. mor.* (*Vol. II 606* et *IV 75* et *sqq.*).

166. *Quid de discessu in* ***fraudem legis?***

Tunc, ad minus in duobus casibus, lex ex territoriali evaderet personalis; scilicet 1° quoad impedimentum clandestinitatis, ut patet ex declaratione S. C. C. confirmata ab Urbano VIII (relata a Benedicto XIV Const. *Paucis ab hinc* ad Goanum); 2° quoad reservationem dioecesanam, ut patet ex Const. *Superna* Clementis X (vide *Theol. mor. Vol. V 214* VII).

167. In aliis casibus multi censent, cum S. Lig. (*I. 152 et III 1046*), discessum in fraudem non impedire quominus qui sic discedit a legis obligatione vere liberetur. Dicunt, illum uti iure suo.

168. De veritate huius doctrinae ego valde dubito; communi enim christifidelium sensui contraria esse videtur, et Benedictus XIV (*De Syn. XIII:* IV. *10*) censuit illam admitti non posse, quia cum praedictis decretis et sensu S. C. componi nequit; Sacra Congreg. enim et Urbanus VIII non iam novam legem constituere, sed solum ad casum practicum leges iam praexistentes et iuris principia applicare intenderunt. Revera iuris principium semper fuit quod fraus nemini patrocinari debet.

169. Ut autem dici possit quod quis vere in legis fraudem discessisset, oportet ut motivum, quo se determinavit ad discedendum, fuerit reapse et praecise evitatio oneris vel incommodi legis ipsius, ita ut, si talis lex non adfuisset, extra patriam se non contulisset, ut dixi; idque melius declarabitur *Theol. mor.* (*Vol. V. n. 217*).

Advertendum est tamen quod in quibusdam casibus v. g. festorum vel ieiuniorum mere territorialium (speciatim si dioecesanus non parum ultra confinia, sed longe migret) revera nihil mali esse videtur si cum fraude quoque illuc se conferat, neque ieiunium neque festum observet, ubi haec nullatenus obligent et nullatenus serventur. Sed nunquid perinde esset si quis v. g. migraret extra dioecesim ad committendum delictum atque ad effugiendam excommunicationem vel suspensionem lege dioecesana inflictam? Non credo.

CAPUT XIII.

DE MEDIIS AD LEGEM ADIMPLENDAM ADHIBENDIS.

N. B. Dum dicitur adhibenda esse media, intelligitur etiam removenda esse impedimenta, et causas in contrarium non esse apponendas.

170. *Adestne revera* ***obligatio*** *adhibendi media et haec estne distincta ab obligatione ponendi opus praeceptum?*

Supponendo quod tempore adimplendi praeceptum homo sit legi subiectus, quod scilicet per privilegium vel discessum e territorio exemptus non evaserit (iuxta dicta *Cap. praec.*), obligatio apponendi media adest sine dubio.

Haec tamen ab obligatione ponendi ipsum opus praeceptum moraliter non distinguitur: unde duo distincta peccata minime essent constituenda eo quod opus praeceptum positum non fuerit, et media non fuerint praemissa: unde nec speciei nec numeri distinctio interveniret in eo qui v. g. de officio recitando non curans, somno se commisisset.

Excipe 1° nisi specialis malitia interveniret, ut puta, si praedictus non iam somno sed ebrietati se commisisset; 2° nisi apponeretur impedimentum non solum pro praesenti, sed etiam pro futuro, et quidem ita ut postea remedium apponi nequiret et resipiscentia ad pravum effectum impediendum nihil deserviret. Casus esset si praedictus longam iniens navigationem, breviarium secum non sumpsisset, vel illud in mare proiecisset; unde qui secunda die navigationis se accusaret dicendo: *heri officium non recitavi*, utique non satis se explicaret. Billuart (*V.* I. IV.).

171. *Obligatio ponendi media potestne extendi etiam* ***ad praecavenda peccata materialia?*** Affirmative. Exemplum habes in muliere abortibus obnoxia; in somnambulo, qui (nisi cautelas adhiberet) gravibus periculis subiiceretur, in pollutionibus nocturnis etc. (prout suo loco explicabitur).

172. *Haec obligatio extenditurne* ***ad quaelibet media?*** Negative; sed, ad distinguendum quaenam media sub vera obligatione adhiberi debeant, complicationes sunt tales ac tantae, ut potiusquam theoriis, sensui communi timoratorum decisio relinquenda sit. Nihilominus aliquae regulae dari possunt.

Regula principalissima est ut observetur qua de lege agatur; aliae enim leges valde rigorosius et aliae valde mitius obligant: me explico. Leges rigorosius obligantes sunt illae quarum finis est providendi rebus ita necessariis, ut. si quis deficeret, magna mala sequerentur. Exemplum habes in obligationibus proprii status, v. g. genitorum, parochorum, medicorum, judicum etc. Item in obligationibus neque offendendi proximum in bonis fortunae, famae, vitae; neque ei scandalum praebendi etc. Leges autem mitius obligantes sunt quae respiciunt res necessarias quidem, sed ita ut aliquis defectus parum mali producat, atque tolerantiae, excusationi, vel etiam dispensationi, locum relinquere possit. Exemplum habes in obligatione diebus festis audiendi missam, diebus esurialibus obstinendi a carnibus vel ieiunandi, et generatim in legibus mere ecclesiasticis; imo etiam in quibusdem legibus divinis v. g. obstinendi ab operibus servilibus die festo etc.

Leges quae rigorosius obligant, obligare possunt ad apponenda media quandoque etiam difficilia, et nedum proxima sed etiam remota; ad tolerandos labores quandoque etiam magnos; ad facienda sacrificia quandoque etiam extraordinaria; atque ad adhibendas cautelas quandoque etiam exquisitissimas. Nihil dico quod in casu absolutae impotentiae adesse potest etiam obligatio sive supplendi per alium, sive resignandi officium.

Non est ita de aliis legibus mitius obligantibus; ut plurimum enim obligant solum ad apponenda media ordinaria et facilia; ita proinde ut grave incommodum excuset.

173. Hinc ad providendum negotiis momentosis adesse poterit obligatio v. g. suscipiendi itinera longa, vel etiam se conferendi in Americam; sed nunquid debebit Americanus hic degens se conferre in Americam ad satisfaciendum illuc praecepto paschali in paroecia sua?

Parochus non habens curam valetudinis suae graviter peccare posset reddendo se ineptum muneribus parochialibus; sed nunquid peccabit etiam quia sic ieiunare non poterit?

Qui se conicilat in periculum carceris, posset ille quoque graviter peccare quia sic familiam suam in ruinam coniiceret; sed nunquid etiam quia in carcere Missam non erit auditurus?

Qui memoriae debilitate laborat, poterit quidem teneri sub gravi ad quarundam rerum notam tenendam in scriptis; sed nunquid tenebitur etiam ad scribenda peccata pro confessione?

174. Dum dixi, leges Ecclesiae esse mitius obligantes, et proinde ad media valde onerosa non adstringere, innui hoc esse verum ordinarie sed non semper. Aliquae enimvero rigorosis fere aequiparantur, quatenus in quibusdam casibus ad media etiam non parum incommoda obligare possunt; idque accidit quando in praxi pro certo habetur quod huiusmodi incommoda toleranda sint.

Exemplum habes ruri, ubi, non obstante magna distantia magnaque viarum asperitate etiam in hyeme, christifideles ad missam audiendam se conferre debent.

Nihil dico de legibus irritantibus; unde vel abstinendum (v. g. a matrimonio) vel ad dispensationem (utique propter taxam plus vel minus onerosam) non parum incommodam recurrendum.

175. Circa leges mitius obligantes notandum est etiam non adesse obligationem removendi impedimenta (v. g. quoad missam et ieiunium) nisi in proximitate; unde apud Gury (*I. 110*) dicit Suarez: « Praecepta positiva « ad hoc non obligant, nisi quando omissiones *proxime* « *et veluti eodem tempore*, moraliter loquendo, sequan- « tur ». Hinc scripsit Gury *l. c. 111:* « Non peccat « contra praeceptum audiendi missam, qui iter ingreditur « praevidens fore ut sequenti die dominica sacrum audire « non possit. Non excusatur tamen qui id faciat praecepto « saltem moraliter iam urgente, nempe aut eodem die festo « aut una alterave ante hora. Excipe nisi aliqua iusta « causa intercedat ». Vide *Theol. mor.* (*Vol. IV 55*).

176. *Quid de* ***gradu culpae*** *si media, quae adhibenda essent, non adhiberentur?* Ordinarie culpa est gravis si lex sub gravi obliget. Exemplum habes si obligatus ad horas canonicas, breviarium sibi non procuraret, vel illis non adhuc recitatis, prope mediam noctem somno se committeret. In quibusdam casibus tamen non expedit ut peccatum mortale constituatur, etsi expediat ut culpa venialis subsistat. Exemplum habes in non removendis causis influentibus quidem in libidinem sed non graviter,

ex quibus pollutio praevisa praeter intentionem sequatur, ut proprio loco melius declarabitur.

Quaedam insuper adsunt incommoda, quae excusant a mortali et tamen a veniali non excusant; prout accidere posset in eo qui tempore paschali abesset a paroecia, et distantia esset quidem notabilis, sed non tanta ut prorsus excusatus dici posset.

CAPUT XIV.

DE PRIVILEGIO.

177. ***Quid est*** *privilegium?*

Est gratia aut concessio (1) particularis et permanens a Principe facta, qua exemptio a lege aut facultas aliqua tribuitur.

Dicitur *particularis*, quia non subditos omnes (prout aliquando contingit in dispensationibus), sed personas particulares vel aliquem coetum tantummodo respicere potest.

Dicitur *permanens*, non iam quia privilegium nequeat esse temporaneum, sed quia ad minus durationem aliquam et tractum successivum habere debet.

Distinguitur tamen a gratiis semel pro semper concessis (ut in dispensatione ab irregularitate, ab impedimento matrimonii etc.), quia privilegium est vel revocabile vel ad tempus determinatum.

178. ***Quotuplex*** *potest esse privilegium?* Est multiplex, et distinguitur principaliter 1° Ex origine et forma concessionis. 2° Ex causa. 3° Ex subiecto. 4° Ex obiecto.

179. *Quomodo distinguitur* ***ex origine vel forma concessionis ?*** Potest esse 1° *expressum*, vel 2° *tacitum* (scilicet ortum ex consuetudine legitime praescripta). Si sit expressum, concedi potuit 3° *vivae vocis oraculo*, vel 4° *scriptum,* nempe per *litteras* Principis. Aliqua autem privilegia sunt 5° *in ipso corpore iuris.*

180. *Quomodo distinguitur* ***ex causa ?*** Concedi potest 1° ex causa publica, prout sunt privilegia causarum piarum, clericorum, regularium, militum, minorum etc.; 2° ex causa particulari, prout privilegia quae conce-

(1) Dicitur etiam concessio, quia aliquando recipitur pretio soluto v. g. privilegia circa manopolia (it. *privative*), exactionem tributorum etc.

duntur huic vel illi personae in particulari v. g. oratorii privati, delationis insignium etc.; 3° intuitu meriti expressi, quo casu dicitur *remunerativum*; 4° ex mera gratia vel intuitu meriti non expressi, quo casu dicitur *gratiosum*: 5° ad *instantiam* seu *ad preces supplicantis*; 6° *motu proprio*, quatenus scilicet Princeps vel non fuerit rogatus; vel illud, non quia ex precibus totaliter motus fuerit, concesserit. Ut autem privilegium tamquam hoc modo concessum haberi debeat, oportet et sufficit ut haec verba (*motu proprio*) expressa fuerint; 7° *Conventionale* et *onerosum* (ut in venditione privativae vel in concessione feudi).

181. *Quomodo distinguitur* ***ex subiecto?*** Etsi privilegium semper redundet in personas, tamen distinguitur in reale et personale.

Reale est quando immediate afficit rem (v. g. altare, unde habemus altaria privilegiata): vel locum v. g. Ecclesiam, monasterium, civitatem, dioecesim etc.), quo casu dicitur etiam *locale;* vel dignitatem (v. g. si Episcopi talis vel talis dioecesis speciale privilegium haberent); vel caetum (v. g. Episcopos, clericos, regulares); vel corpus morale v. g. collegium, capitulum etc.: quo postremo casu privilegium dicitur etiam *corporale.*

Personale est quando immediate afficit personam, seu conceditur personae intuitu personae (non vero intuitu dignitatis, loci etc.). Subdistinguitur in *personale singulariter*, et *personale generaliter*. Primum contingit quando privilegium conceditur personae particulari nominatim expressae. Secundum quando conceditur personis omnibus, in quibus tales vel tales circumstantiae verificentur (prout sunt privilegia minorum etc.).

182. *Quomodo privilegium distinguitur* ***ex obiecto?*** Potest esse 1° perpetuum (etsi revocabile), vel temporaneum; temporaneum autem aliud est in *diem* determinatum, et aliud *conditionatum*. 2° *Affirmativum* vel *negativum* secundum quod privilegiatus aliquid facere, (v. g. exigere decimas); vel aliquid omittere (v. g. non solvere decimas) poterit. 3° *Primo et per se concessum;* vel *concessum ad instar* (quod scilicet intelligi debeat iuxta tenorem alterius privilegii aliis prius concessi). Hoc autem subdistinguitur inter concessum *aeque principaliter* (prout sunt privilegia quae Ordinibus Religiosis communicari solent), vel *accessorie* (prout sunt privilegia Religiosorum, quae interdum eorundem familiaribus communicantur).

Privilegium in primo casu, quoad futurum, mutationibus vel destructioni alterius non subiicitur bene vero subiicitur in secundo. 4° *Contra ius* et *praeter ius*. 5° *Odiosum* et *favorabile*. Sed haec postrema sunt explicanda.

183. *Quandonam privilegium est* ***contra ius, et quandonam est praeter ius?*** Est *contra ius* quando Princeps, illud concedendo, vulnerat aliquam legem suam, seu eximit ab illa aliquos subditos suos; qui proinde, si privilegiati non essent, contra illam peccarent. Exemplum habes in privilegio oratorii privati, quod implicat exemptionem ob audienda Missa in publica ecclesia.

Est *praeter ius* quando Princeps illud concedendo, nullam legem suam vulnerat, sed solum concedit aliquam facultatem, v. g. dispensandi, absolvendi a censuris, deferendi insignia, *it. privativa* exercendi etc.; unde qui, secluso privilegio, dispensaret, deferret insignia etc., peccaret quidem, sed ea sola de causa quia sine facultate talia exercere prohibitum est; non vero quia aliam legem violaret.

184. *Privilegia* ***absolvendi et dispensandi*** *subeuntne distinctiones?* Affirmative: privilegium enim dari potest sequentibus modis:

I. *Pro foro sacramentali;* et tunc exerceri potest solum actu sacramentalis confessionis.

II. *Pro foro poenitentiae;* et tunc exerceri potest etiam per absolutionem censurarum extra confessionem in forma solemni.

III. *Pro foro conscientiae*; seu *pro foro interno;* et tunc exerceri potest solum ita, ut pro foro externo (scilicet contentioso et iudiciali coram Ecclesia) nullum valorem habeat, sed valeat solum pro conscientia et coram Deo.

Advertendum quod forum conscientiae latius patet quam forum poenitentiae; dum enim forum poenitentiae restringitur ad absolutiones, forum conscientiae ad alia quoque (v. g. dispensationes, indulgentias etc.) extenditur.

IV. *Pro foro externo*; et tunc privilegium nedum pro illo sed etiam pro interno effectum haberet; quatenus dispensatus vel absolutus (a censuris) in foro externo, etiam pro interno dispensatus vel absolutus evadit Cf. Suarez (*De Leg. VIII.* VI. *11-16).*

185. *Quandonam privilegium est* ***favorabile; et quandonam est odiosum?*** *Et cur haec distinctio?*

Est favorabile in tribus casibus. 1° Quando nec est *contra ius*, nec in alicuius praeiudicium redundat. Exemplum habes in privilegiis absolvendi, dispensandi etc. 2° Quando, etsi sit contra ius, tamen *motu proprio* conceditur; 3° Quando, etsi pariter sit contra ius, tamen propter causam magno favore dignam (unde expediat abundare) conceditur.

Exemplum huius tertii casus habes in privilegiis generalibus ex causa pia, vel pro bono publico. cuiusmodi sunt privilegia Clericorum, Regularium, pupillorum etc.

186. Est autem odiosum quando haec tria concurrunt, quod scilicet 1° sit *contra ius* (vel in praeiudicium alterius); 2° concessum fuerit *ad instantiam*; 3° causa magno favore digna non conspiciatur. Huiusmodi sunt multa privilegia particularia ad instantiam concessa, v. g., non solvendi decimas, non solvendi tributa, habendi oratorium privatum etc.

187. Haec autem distinctio deservit pro regula interpretationis, si omnibus perpensis, aliquid esset dubium, iuxta dicta (*n. 65 Reg. VII).*

188. ***Quisnam potest concedere*** *privilegium?* Ille dumtaxat qui vel habeat auctoritatem legislativam (intellige semper intra limites auctoritatis ipsius), vel a legislatore privilegia concedendi facultatem receperit. Quoad privilegia contra legem, ratio est manifesta. Quoad privilegia autem praeter legem, ratio est quia oportet ut subditi 1° nequeant impedire quominus privilegiati privilegiis utantur; 2° nequeant ipsi subditi non privilegiati eisdem facultatibus uti.

189. *Privilegia possuntne licite et valide concedi* ***etiam sine iusta causa?***

Licite, negative; secus enim salutaribus legibus praeiudicium vel prodigalitas interveniret.

Valide, distinguendum: Si ex parte petentis intervenisset *obreptio* (expositio falsi) aut *subreptio* (occultatio veri quod manifestari debuisset): vel si concessum fuisset a Superiore subordinato in lege Superioris supremi; in

his casibus, negative (scilicet privilegium invalide concederetur). In aliis casibus (scilicet in lege propria et secluso vitio precum) affirmative (scilicet valide concederetur); nemo enim nisi ex legislatoris voluntate obligari potest. Ballerini (*Opus Theol. I. 389*).

190. *Privilegia valentne* ***ubique?*** *Et possuntne concedi* ***etiam non subditis ?*** Distinguendum est inter privilegium locale et personale.

Privilegium *locale*, extra locum privilegiatum, nihil suffragatur. In loco ipso tamen valet etiam pro exteris, seu (ut theologi dicunt) peregrinis; idque ex generali consuetudine.

Privilegium *personale* sequitur personam in toto territorio concedentis (nisi aliter expressum fuerit). Extra territorium autem regulariter vel esset inutile (illuc enim lex non adest), vel posset impediri. Dixi *regulariter;* in rebus enim, in quibus subditus etiam extra territorium a suo Superiore dependet, privilegium (quoad conscientiam et dummodo aliena iurisdictio non turbetur) valere posset.

Privilegium personale autem praeter legem (v. g. facultas absolvendi, dispensandi etc.) peregrino etiam dari valet, si in territorio concedentis illo utatur.

191. *Valetne privilegium si privilegiatus illud non adhuc acceptaverit vel acceptare nolit?* Absolute loquendo, valere posset; lex enim et facultatum concessio pendet a Principe et non a subdito. Nihilominus non censetur esse de mente Principis ut privilegium non petitum valeat antequam acceptetur, vel si respuatur (ne vilescat). D' Annibale *(I. 205)*.

192. *Privilegiatus* ***teneturne uti privilegio ?*** Decisio pendet ab intentione concedentis; si enim ex non usu privilegii malae consequentiae orirentur, nec rationabiliter se gessisset Princeps si in tali vel tali casu non usum permittere intendisset; tunc pro obligatione standum esset. Secus, si secus; ex regula iuris (*LXI in 6°*) dicente: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius « dispendium retorquendum ».

Casus autem in quibus utendi privilegio adest obligatio, sunt speciatim sequentes: 1° Si non usus redundaret in damnum commune Ordinis Religiosi, aut Status Clericalis (ut in privilegio fori), aut Religionis, aut Christifidelium; unde Regulares, Episcopi, Canonici, Clerici etc.

privilegiis proprio Ordini vel statui vel dignitati vel officio concessis uti teneantur. 2° Si non-usus in spretum Superioris qui illud dedit, maxime vero si in laesionem iustitiae vel charitatis (etsi ageretur solum de aliqua persona particulari) redundaret. Hinc qui habet privilegium absolvendi a reservatis, illo uti deberet si charitas ita exigeret; et multo magis si confessione iam audita, iustitiae debitum interveniret. 3° Si privilegium auferret impedimentum observationi alicuius legis. Casus contingeret in habente privilegium oratorii privati, si forte die festo nequiret ad ecclesiam se conferre, sed in oratorio suo commode missam audire posset. Hoc tamen ultimum non ab omnibus admittitur. Vide Gury (*I. 348 not. a*). Caeterum, seclusis malis consequentiis, nemo tenetur uti privilegio v. g. celebrandi missam ante auroram, recitandi matutinum ante horam permissam, deferendi anulum vel biretum doctoralem etc.

193. *Quibus modis* ***cessare*** *potest privilegium ?* Cessare potest 1° natura sua; 2° voluntate Principis; 3° ex parte privilegiati.

194. *Quomodo cessat* ***natura sua,*** *seu, ut aiunt, ab intrinseco ?* Praenotandum quod non cessat morte concedentis, nisi expresse vel tacite solum ad vitam illius concessum fuerit. Si enim sit generale, consideratur ut lex et durat ut lex; et in quovis casu est gratia facta, quae non expirat morte concedentis.

Cessat autem natura sua in sequentibus casibus.

I. Si concessum fuerit ad tempus determinatum (v. g. ad annum), et tempus praeterierit.

II. Verificata conditione resolutiva, quae sive expresse apposita fuerit, sive evidenter vel ex consuetudine subintelligatur; prout contingeret si ad effectum et intuitu eventus *futuri*, seu durante causa, concessum fuisset; ut puta, si Canonicus obtinuisset privilegium abessendi e choro causa studiorum, et ille studia complevisset vel dereliquisset.

Conditio autem: *Quamdiu non revocavero vel nisi aliud ordinavero* non exspirat morte concedentis. Et idem dicendum est de conditione *ad beneplacitum nostrum*, vel (quod in idem recidere videtur) *quamdiu voluero* saltem si privilegium sit gratiosum et favorabile. Vide *Theol. mor. (Vol. V 167)*.

III. Cessat morte personae privilegiatae. Intellige si sit personale singulariter (*n. 181*).

IV. Cessat interitu rei, si sit reale: vel interitu loci, v. g. Ecclesiae, si sit locale. Si tamen Ecclesia reaedificaretur in eodem loco, privilegium revivisceret. D' Annib. (*I. 207. not. 31)* et Aertnys (*I. 214*).

195. *Privilegium quomodo cessat* ***voluntate Principis, scilicet revocatione?***

I. Imprimis vix est quod loquamur de revocatione illorum privilegiorum, pro quibus privilegiati pretium vel taxam solverunt (v. g. pro habenda *privativa* vel ad quae utcumque ius strictum acquisiverunt). Huiusmodi privilegia dicuntur *onerosa*, et vix unquam revocantur aut revocari possunt.

II. Casus itaque revocationis practice restringitur ad privilegia *gratiosa*, vel remunerativa quidem sed non ita ut ex strictae iustitiae debito vel cum translatione iuris stricti, concessa fuerint. Huiusmodi sunt multa privilegia generalia, v. g. Regularium, Episcoporum etc.; et quaedam etiam particularia v. g. Corporibus moralibus, dignitatibus, vel personis particularibus gratis vel solius gratitudinis causa elargita.

Haec enim privilegia non sunt tamquam donatio absoluta, quae amplius revocari nequit; sed semper *habent conditionem implicitam, qua Princeps ius revocandi sibi reservat*, etsi pro licito iusta causa semper exigatur. (Reiff. *V.* xxxiii *120*).

III. Revocatio potest esse *tacita* et *expressa*. Tacita est quando Princeps procedit ad actum directe contrarium, seu qui non potest subsistere sine revocatione privilegii antea concessi, dummodo debeat praesumi eum scire privilegium ipsum, illiusque recordari (Reiff. *l. c. 127*).

Exemplum habes si privilegium praecedentiae prius habuisset Archidiaconus et postea daretur Archipresbytero.

Revocatio *expressa* contingere potest duobus modis, scilicet 1° revocando tale vel tale privilegium nominatim (et tunc nulla difficultas); 2° revocando privilegia per clausulas generales.

Sed notandum quod *non quaevis clausula generalis sufficit* ut privilegium quodlibet revocatum censeatur.

Explicatio. Adest clausula generalis *communis*, quae dicere solet: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis* (Reiff. *l. c. 124*): et adsunt aliae clausulae generales *fortiores*. Adsunt etiam privilegia *ordinaria*, et privilegia *qualificata* seu quae specialem habent firmitatem.

Clausula communis sufficit pro revocandis privilegiis ordinariis; sed pro qualificatis clausulae fortiores exiguntur; et istae iuxta varios casus variae sunt.

Hinc clausula communis non sufficit ad revocanda privilegia inserta in corpore iuris, aliaque concessa per constitutiones Pontificias ad modum legis, pro quibus (quae utique censentur qualificata) ad minus exigeretur clausula: *Non obstantibus legibus in contrarium*; et ne haec quidem sufficeret, si privilegia data fuissent a Concilio Generali; tunc enim id quoque exprimi deberet; imo si concessa fuissent a Concilio Tridentino, specialis de illo quoque mentio exigeretur. Specialem mentionem exigunt etiam privilegia Regularium; imo quaedam ex istis specialissima mentione indigent. Idem dic de privilegiis, in quorum concessione dictum fuerit non posse revocari, nisi eorum expressa mentio, vel etiam transcriptio de verbo ad verbum, intercesserit; quae tamen utique revocari possent non obstante omissione talis transcriptionis, sed exigerent clausulam aequivalentem, quae dicere solet: *Non obstantibus privilegiis sub quacumque verborum forma concessis, etiamsi eorum expressa, specifica, aut de verbo ad verbum mentio facienda esset.* Stylus est etiam ut de privilegiis immemorabili consuetudine firmatis specialis mentio fiat.

Privilegia denique onerosa (quae, ut dixi, vix unquam revocantur) specialissima mentione indigent, dicendo, v. g. revocari etiam *conventiones*. Cf. Salmant. (*l. c.*), S. Lig. (*l. c.*) et Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX: (§ *53. 55*).

196. *Privilegium cessatne suapte natura, aut debetne necessario revocari etiam cessante causa finali propter quam concessum fuit?* Quaedam privilegia non cessant, quamvis causa cessaverit. Exemplum habes si privilegium propter nobilitatem, vel merita quae cessaverint, concessum fuisset, et aliunde sine damno alicuius conservari posset; tunc enim valent regulae iuris: — *Beneficium Principis decet esse mansurum — Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuerit inchoari —.* E contra privilegia cessant in sequentibus casibus: 1° Si in concessione privilegii causa finalis expressa fuisset ad modum conditionis resolutivae, dicendo v. g. durante causa; (v. *Theol. mor. Vol. IV 465* VI). 2° Si causa cesset (ut aiunt) *contrarie*, ita scilicet ut privilegium evasisset damnosum sive ipsi privilegiato, sive bono publico, sive Ecclesiae, ut puta, si alicui concessum fuisset privilegium non solvendi decimas, et postea Ecclesia valde indigeret; tunc enim revocari deberet ut notat Ballerini (*Op. th. I 392. 3-5*). Imo si usus illius, propter mutatas circumstantias, evasisset

iniquus et iniustus, per se cessaret: privilegium enim de re iniqua subsistere nequit. Reiff. (*V.* XXXIII *187*).

197. *Revocatio privilegii habetne effectum statim?*

Si revocatio fiat per legem generalem, tunc lex ista effectum sortietur promulgatione secuta, ad instar aliarum legum, scilicet perventis et publicatis litteris encyclicis, si de lege Pontificia agatur; neque obstaret si aliqui privilegiati revocationis notitiam adhuc non habuissent.

Hinc, revocato generali privilegio absolvendi a reservatis, invalida esset absolutio, quae ab ignorantibus daretur. S. Lig. (*l. c. XVII*).

Revocatio autem privilegii per decretum particulare solum post specialem intimationem ad privilegiatum directe perventam, effectum habere potest. Aertnys (*I 216*).

198. *Privilegium quomodo cessare potest* ***ex parte privilegiati?*** Causae supremae ob quas accidere potest quod privilegiatus privilegium amittat ex parte sua, sunt tres, scilicet 1° si renuntiet privilegio; 2° si sinat ut illud praescriptioni subiiciatur; 3° si illo abutatur.

De abusu non oportet ut verba faciamus, et sufficit notare, quod propter abusum non ipso facto sed solum post sententiam vel decretum Principis, privilegium amitti posset. S. Lig. (*l. c. XIV*). Restat igitur ut de renuntiatione et praescriptione aliquid dicam.

199. *Quid de amissione privilegii* ***per renuntiationem?***

Renuntiatio difficile deservire poterit ad amittendum privilegium, quando ut sic amittatur, exigitur acceptatio Principis in particulari vel ipso iure; non enim est in potestate alicuius efficere ut ipse evadat legi subiectus, quando Princeps legem ad illum non extendit, vel ut non habeat facultatem, quando Princeps facultatem illam ei tribuit. Renuntiationis autem acceptatio *ipso iure* intervenit solum quando sine ullo publici boni aut alicuius detrimento renuntiatio fiat in favorem atque utilitatem aliorum acceptantium, in quorum gravamen privilegium redundabat. Cf. Reiff. (*V.* XXXIII *204*).

Exemplum esset si quis haberet speciale privilegium exemptionis a iurisdictione Episcopi, et ille huic iuri suo renuntiaret, atque subiectionem Episcopo acceptanti praestaret.

Excepto itaque casu isto, oporteret ut renuntiatio privilegii a Principe acceptaretur atque approbaretur in particulari.

Hoc verum est generalissime; et proinde renuntiatio non valeret neque in privilegiis ordinariis (v. g. celebrandi missam ante auroram, absolvendi a reservatis etc.) neque a fortiori in privilegiis qualificatis,

nempe 1° Si usus privilegii sub obligatione caderet (ut in privilegio fori, exemptionis Regularium a iurisdictione Episcopi etc.). 2° Si bonum publicum exigeret ut privilegiati suo privilegio semper uti possent, ut in privilegio minorum rescindendi contractus sine debitis auctorizationibus in minoritate celebratos. 3° Si privilegium sit in favorem non personae, sed, v. g. dignitatis, status ecclesiastici, ordinis religiosi, monasterii, collegii etc.

200. *Quotuplex esse potest privilegii renuntiatio in favorem alterius, qui propter privilegium gravabatur?*

Expressa et tacita. De expressa nulla est difficultas. Tacita autem interveniret 1° per non-usum, si privilegium esset affirmativum, seu aliquid faciendi (v. g. imponendi tributum, et hoc non imponeretur); 2° per usum contrarium, si privilegium esset negativum, seu aliquid non faciendi (v. g. subiectionem Episcopo non praestandi, et haec praestaretur). Ut tamen non-usus vel usus contrarius pro tacita renuntiatione privilegii in foro externo haberi possit, decisio pendet a circumstantiis; et certe renuntiatio non intelligeretur si non-usus vel usus contrarius evenisset ex ignorantia privilegii; aut coacte; aut cum protestatione; aut ex defectu opportunitatis privilegio utendi (prout posset contingere speciatim si privilegium rarissimis vicibus exerceri posset); aut ex defectu possibilitatis (v. g. vetante infirmitate, absentia etc.); aut per unum alterumque actum qui commode aliis motivis (v. g. urbanitati, amicitiae etc.) tribui posset. In conscientia autem renuntiatio tacita (ait S. Lig. *l. c. XIV*) nunquam subsisteret, si animus renuntiandi revera non adfuisset.

Aliud tamen esset si praescriptio intervenisset, prout statim explicabo.

201. *Quomodo cessare possit privilegium* ***vi praescriptionis?***

Hoc restringitur ad illa privilegia (mox supra indicata *n. 199*), quae gravamen vel auctoritatis imminutionem alicui afferunt, quae utique cessare possent etiam vi praescriptionis, si nempe per tempus ad hunc effectum a rebus statutum eorundam usus non fiat (v. g. actus subiectionis Episcopo praestando, vel decimas solvendo etc.); unde praescriptio vere compleatur, privilegium amittatur, et sic (v. g. ab Episcopo vel ab Ecclesia) verum ius acquiratur.

202. *Quaenam differentia est inter amissionem privilegii vi renuntiationis tacitae et vi praescriptionis?*

In casu praescriptionis 1° sufficit si privilegiatus, etiam ex ignorantia vel oblivione privilegii sui, illo non fuerit usus; 2° exigitur praedictus temporis lapsus; 3° privilegiatus, etsi nunquam habuerit voluntatem renuntiandi, ius suum etiam in conscientia amittit; alii enim per legitimam praescriptionem verissimum ius contra illum acquisierunt.

Secus autem est in casu renuntiationis tacitae; tunc enim exigitur voluntas renuntiandi, et longe minor temporis lapsus sufficere potest. Cf. Suarez (*VIII.* xxxiv *25. 26*).

CAPUT XV.

DE DISPENSATIONE

Agendum est de dispensationis 1° natura ; 2° obiecto ; 3° auctore ; 4° causis requisitis ut dispensatio sit licita, valida, debita ; 5° interpretatione ; 6° subiecto ; 7° cessatione.

ARTICULUS I.

De dispensationis natura.

203. ***Quid est dispensatio ?*** Est exemptio ab obligatione legis (aut voti), facta a legislatore (aut ab eo qui ab ipso dispensandi auctoritatem recepit), in favorem personarum particularium, vel etiam (ad tempus) in favorem multitudinis, propter specialem difficultatem observandi legem ipsam.

Exemplum habes in dispensatione ab aliquo impedimento (pro matrimonio), ab aliqua irrregularitate (pro ordine sacro), a ieiunio, ab abstinentia a carnibus, ab horis canonicis etc.

204. ***Distinguiturne a privilegio ?***

Affirmative, quia privilegia vel non sunt contra legem, dum honores aut facultates tribuunt (et proinde a nullius legis obligatione eximunt): vel, si sunt contra legem, non iam ob specialem difficultatem illam observandi, sed ob alia motiva (v. g. propter merita, bonum Ecclesiae, consuetudinem etc.) conceduntur.

Sic, v. g. ob huiusmodi motiva conceduntur privilegia oratorii privati (pro audienda missa diebus festis extra publicam ecclesiam) celebrandi; missam ante auroram vel domi; recitandi matutinum pro die sequenti ante horam a rubricis destinatam: et Mediolani non servandi ieiunium in primis diebus quadragesimae.

205. *Distinguiturne a* ***declaratione?*** Declaratio accidit quando persona auctoritate praedita aliquem tutum reddit quod a lege observanda excusetur ; ut puta, si confessarius vel medicus dicat te non teneri ad ieiunium etc. Huiusmodi declarationes dici quidem solent dispensationes, sed tales proprie non sunt.

206. *Distinguiturne* ***a licentia ?*** Licentia intervenit quando lex permittit ut aliquid fiat sub conditione ut, v. g. a Praelato, licentia petatur. Licentia itaque

non est exemptio a lege, et proinde a dispensatione longe dissidet. Interdum tamen qui vere dispensat licentiam dare dicitur, sed improprie.

207. *Distinguiturne* ***ab indulgentia, a tolerantia, a permissione?***

Proprie loquendo, *indulgentia* est remissio poenae quam quis iam meruit; *tolerantia* consistit in non apponendo impedimento alteri etsi forte ille male agat; *permissio* supponit actionem non esse impediendam quia iam sit ex se honesta. In his itaque casibus de dispensatione nihil est.

Interdum tamen haec verba improprie sumuntur.

208. *Distinguiturne a* ***ratihabitione,*** *ab* ***epicheia*** *et ab* ***abrogatione*** *vel* ***derogatione*** *legis?* Utique.

Ratihabitio est consensus futurus quo superior vel alter approbat aliquid post factum; dispensatio autem ante factum et per Legislatorem intervenire debet.

Epicheia est exceptio iam in ipsa lege interpretative inclusa; unde cum dispensatione nihil commune habet.

Denique *abrogatio* vel *derogatio* legis, in toto vel in parte legem ipsam pro tota societate in perpetuum destruit; quod pariter a simplici dispensatione longe dissidet.

209. *Dispensatio a voto aut iuramentis distinguiturne ab eorundem* ***irritatione****, quae v. g. a patre, vel a Praelato Regulari fiat?* Affirmative; quia tunc a Legislatore minime provenit.

Irritatio enim fit ab habentibus potestatem dominativam (quae utique competere potest etiam privatis, et longe diversa est a legislativa), sive super alterius voluntatem (prout contingit in Praelatis Regularibus respectu subditorum, propter votum obedientiae; et in patribus-familias respectu filiorum impuberum); sive super materiam voti (prout contingere potest in maritis, uxoribus, heris etc., si forte de re eorum iurium turbativa uxor, maritus, famulus etc. votum fecissent); tunc enim, votum emittendo, subintelligitur conditio: *nisi Praelatus, nisi pater, nisi maritus etc. contradixerit.* Haec itaque irritatio distinguitur a dispensatione, quae a Legislatore fieri debet. Idem dic de *relaxatione* debiti, quae a creditore fiat. Duo tamen notanda sunt 1° Irritationes et relaxationes huiusmodi quoad effectum (auferendi obligationem) perinde sunt ac dispensationes. 2° Sublatio autem obligationis, non vulnerando legem sed solum auferendo eius materiam et destruendo fundamentum obligationis ab homine positum, peragitur.

210. *Distiguiturne ab irritatione voti, iuramenti, vel* ***etiam matrimonii rati,*** *quae a Summo Pontefice fiat?* In casu isto vera dispensatio (propter interventum Legislatoris) accidere dicitur et ex hoc patet quod dispensatio duplici modo intervenire potest. Primus est quando Legislator eximit aliquem a lege directe (v. g. dispensando illum a lege ieiunii). Secundus est quando Legislator irritum reddit actum ex quo subditus obliga-

tionem contraxerat; et sic illum a lege eximit quidem, sed indirecte et consequenter; illius materiam scilicet, et fundamentum ab homine positum (prout in casu matrimonii rati) auferendo.

211. *Dispensatio distinguiturne a* ***commutatione?*** Utique distinguitur, quatenus dispensatio exemptionem a lege, vel a voto; commutatio autem iniunctionem atque acceptationem alterius operis respicit; quia scilicet, sive actu ipsius dispensationis sive postea, dispensatus, loco prioris obligationis vel oneris, aliquid offerre vel peragere debeat. De facto autem dispensatio ut plurimum commutationem commixtam habet.

212. ***Quotuplex*** *potest esse dispensatio?* 1° Potest concedi *iure ordinario* aut *iure delegato*. 2° Potest esse *certe necessaria* vel *ad cautelam* 3° *Debita* aut *libera*. 4° *Absoluta vel conditionata*. 5° *Expressa;* aut *tacita* si nempe ex facto Superioris (v. g. videntis et non contradicentis) eius consensus argui debeat; aut *interpretativa*, quae contingeret quando propter casus urgentiam, Superior nedum esset dispensaturus si rogaretur, sed etiam contentus praesumatur ut non petita dispensatione subditus tamquam dispensatus se gerat. 6° *Personalis*, aut *localis,* si nempe superior personas particulares, ubique sint; aut subditos solum in territorio dispenset. 7° *Totalis* aut *partialis*. Partialis esset, v. g. si quis per Episcopum dispensaretur ab irregularitate pro solis ordinibus minoribus. 8° *Directa et immediata*, vel *indirecta et mediata*; secundum quod Superior per se talem vel talem dispensat; aut persona dispensatur sive quia pertineat ad Communitatem cui dispensatio concessa est, sive quia obtinuerit vel utcumque habeat facultatem ut alter ei dispensationes applicare possit: 9° *Obreptitia* vel *subreptitia* (sed hoc opportunius explicabitur infra).

ARTICULUS II.

De dispensationis obiecto.

213. ***Quotuplex*** *esse potest dispensationis obiectum?* Dispensatio pro obiecto habere potest quemlibet onerosum legis effectum; scilicet 1° obligationem (illam auferendo, et faciendo de illicito licitum); 2° inhabilitationem vel actus nullitatem (faciendo de inhabili habilem, et de invalido validum); prout in dispensationibus ab irregularitate vel ab impedimentis matrimonii accidit; 3° poenam non adhuc incursam (eximendo, v. g. a mulcta, a censura *ferendae sententiae* etc.) Dixi *non adhuc incursam*; secus enim non de dispensatione, sed de condonatione vel absolutione ageretur. Idem dic de tributis, taxis etc.

ARTICULUS III.

De dispensationis auctore.

PUNCTUM I.

Exponuntur quaedam generalia.

214. ***Quisnam*** *potest dispensare?* Qui habet auctoritatem iurisdictionalem sive ordinariam sive delegatam.

215. *Quisnam dispensat* ***auctoritate ordinaria?*** 1° Legislator in lege sua. 2° Eius successor. 3° Eius superior, cuiusmodi esset Summus Pontifex quoad leges Episcopi, aut Synodi sive diocesanae, sive provincialis, sive nationalis.

216. *Quisnam dispensat* ***auctoritate delegata?*** Qui est delegatus *a iure* vel delegatus *ab homine.*

Delegatio *a iure* contingit quando per legem facta est facultas inferiori dispensandi in quibusdam legibus Superioris, scilicet in iis quae ad Superiorem (v. g. Pontificem) spectarent. Exemplum habes in pluribus faculta-

tibus Episcoporum et Regularium dispensandi a quibusdam legibus pontificiis, votis, iuramentis etc.

Tunc autem dicitur *delegata generaliter,* vel etiam *quasi ordinaria.*

Delegatio *ab homine* contingit quando Superior huic vel illi inferiori dispensandi concedit facultatem; quae interdum officio (v. g. Episcopi) et interdum personae (scilicet tali vel tali personae praecise) adnecti potest.

Tunc autem *simpliciter* vel *specialiter delegata* appellatur.

PUNCTUM II.

De potestate dispensandi in Pontifice.

217. De facultatie Summi Pontificis dispensandi in legibus ecclesiasticis nullum dubium; solum itaque ad leges divinas, et apostolicas quaestio reduci potest.

218. *Potestne Summus Pontifex dispensare* ***in legibus divinis,*** *sive naturalibus sive positivis?*

Si ageretur de sola declaratione, declarando scilicet quod ad talem vel talem casum lex divina non extenditur; id certe (iure suo interpretandi et docendi) ei competit.

Loquendo de vera dispensatione, quatenus attentis etiam circumstantiis (illa seclusa) obligatio perduraret; certum est imprimis quod, si iusta causa non adesset, dispensatio nedum illicita sed etiam invalida foret.

Sed, causa iusta subsistente, Pontifex posset certe dispensare ex facultate a Christo ipso recepta et inclusa in illis verbis: *Tibi dabo claves Regni coelorum; quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis;* magna enim adest necessitas ut Ecclesia etiam legibus divinis dispensationes concedere valeat; Christus autem non defuit providere Ecclesiae suae in necessariis.

219. Haec tamen facultas non extenditur ad illa, quae traditio probat esse prorsus immutabilia: exemplum habes (praeter quam in rebus intrinsece malis) in matrimonio consummato fidelium, et in obligatione non tacendi peccata in confessione.

Casus autem, in quibus iam ex praxi Ecclesiae constat quod Summus Pontifex in legibus divinis dispensare potest, sunt praecipue sequentes.

I. A votis, etiam solemnibus. Ratione autem voti, in lege divina; et ratione solemnitatis, iure ecclesiastico dispensat.

II. A iuramentis (secluso casu iuramenti a tertio acceptati; et libere emissi). S. Lig. (*III 192*).

III. A sponsalibus.

IV. A matrimonio rato et non consummato fidelium.

V. A matrimonio etiam consummato infidelium, dummodo 1° post susceptum baptismum non fuerit consummatum; 2° interveniant causae necessitatis. Vide declarationes S. C. S. O. apud *Monitore* (*VI.* III *196*) et Mansella (*I.* IV *A. III n. 17-20*).

VI. A residentia Episcopi.

VII. A necessitate ut minister Confirmationis sit Episcopus.

Etsi obligatio residentiae Episcoporum, et necessitas ordinis episcopalis quoad ministrum confirmationis sint de iure divino; tamen certum est ex traditione quod Christus Dominus facultatem dispensandi his in casibus Pontifici concessit.

VIII. Circa opera servilia diebus dominicis.

220. *Quid de dispensatione* ***a legibus apostolicis?***

Ab illis etiam potest certe Pontifex dispensare. Exemplum habes in dispensatione a ieiunio quadragesimali, a ieiunio naturali communioni praemittendo, et in ordinatione bigamorum.

Aliud est de legibus divinis promulgatis ab Apostolis circa materiam et formam sacramentorum et sacrificii missae, in quibus Pontifices dispensare nequeunt.

Attamen quoad ordinem sacrum vide *Theol. mor.* (*Vol. V n. 713*).

PUNCTUM II.

De potestate dispensandi in Episcopis.

221. *Quibus in casibus possunt Episcopi dispensare?* Interdum facultate ordinaria, interdum facultate quasi ordinaria, et interdum facultate specialiter delegata dispensare possunt.

222. *Quibus in casibus Episcopus dispensare potest* ***facultate ordinaria?*** Hoc modo dispensare valet in legibus propriae dioecesis sive synodalibus sive simplici-

ter episcopalibus (et quidem independenter a capitulo). S. Lig. (*I 190*).

223. *Quibus in casibus Episcopus dispensare potest* ***facultate quasi ordinaria?*** 1° In votis non reservatis et in iuramentis. 2° Non raro etiam in legibus pontificiis. Sed haec sunt explicanda.

224. *Explica enucleatius quibus* ***in votis*** *Episcopus dispensare possit?* Solum in votis simplicibus; et quidem solum illa commutando, atque insuper cum sequentibus exceptionibus.

Excipitur enim I. Votum castitatis perpetuae et perfectae; non vero votum castitatis coniugalis, aut temporaneum, aut non nubendi, aut recipiendi ordines sacros, aut servandae virginitatis stricte sumptae. Dico *stricte sumptae*: communius enim fideles virginitatem cum castitate perfecte et perpetuo servanda confundere solent, ut notat Ballerini (*I n. 133 q. 3 not. 6*).

Attamen post matrimonium iam contractum Episcopus a voto castitatis dispensare posset, sed solum relate ad debitum coniugale; et hanc facultatem tunc haberet certe ex facultatibus Poenitentiariae; sed probabilius etiam sine illis.

Excipitur II. Votum ingrediendi Religionem, seu Ordinem Religiosum votorum solemnium; non vero votum dandi nomen alicui piae congregationi votorum simplicium; ut patet ex responso S. Poenit. apud Gury (*II 180 q. 4*).

Excipitur III. Votum alicuius ex tribus peregrinationibus: ad limina Apostolorum: ad Ierusalem: ad S. Iacobum Compostellae.

N. B. Ut, votum Rom. Pontifici reservetur, oportet ut sit absolutum; non vero sufficeret si esset conditionatum dicendo v. g. *si convalescam* (etsi conditio verificata fuisset); aut disiunctivum, dicendo v. g. ibo ad limina Apostolorum vel ad Sanctuarium *Lourdes:* aut poenale, dicendo v. g. si tale peccatum commisero. Quod enim reservatur, perfectum in suo genere esse debet, unde vota quae ex pleno erga rem promissam affectu non procedunt, reservari non censentur. Gury (*I. 333 q. 3*).

Excipiuntur IV. Vota simplicia (castitatis, obedientiae et paupertatis) quae hodie emittuntur ante professionem religiosam. Haec etiam Pontifici reservantur. S. Congreg. super statum Regularium *12 Iun. 1858* (apud Lucidi *II.* IV *n. 143*).

Excipiuntur V. Vota emissa cum obligatione perse-

verantiae in piis congregationibus votorum simplicium a S. Sede approbatis. (Cf. Lucidi *II.* v *n. 351*, et S. Lig. *III 255 in fin.*).

225. *Quid de facultate Episcopi dispensandi a* ***iuramentis?***

Episcopi dispensare possunt a iuramentis omnibus.

Si iuramentum adhibitum fuisset ad confirmandum votum reservatum; tunc quoque votum quidem sed non iuramentum esset reservatum. S. Lig. (*III n. 259*).

Excipi debet tantummodo casus, in quo (ut supra innui) iuramentum libere emissum a tertio acceptatum fuisset. Dixi *libere emissum;* iuramenta enim, quae metu aut fraude (prout contingeret in promissione iurata dandi pecuniam pro necessitate ficte exposita) extorta fuissent, utique ab Episcopo dispensari possent. (Gury *II 125* III).

226. *Quid de facultate Episcopi dispensandi* ***in legibus pontificiis?*** Auctoritate quasi-ordinaria dispensare potest in aliquibus casibus, quoad ea quae respicerent 1° sacras ordinationes; 2° matrimonium; 3° diversos alios casus. Sed haec sunt explicanda.

227. *Quid potest dispensare Episcopus circa* ***sacras ordinationes?***

I. Ab *irregularitate ex delicto* (v. *Theol. mor. Vol. V n. 797 et seqq.*); sed solum in casibus *occultis*, et quidem *excepto homicidio voluntario* (*l. c.*).

II. Ab irregularitate *ex defectu natalium* (*l. c. 778 et sqq.*), sed solum pro ordinibus minoribus, et pro beneficio non exigente ordinem sacrum (cuiusmodi est etiam canonicatus (in collegiata).

III. Ab irregularitate *ex bigamia;* sed dummodo sit similitudinaria tantum (*l. c. 703*), et quidem praemissa etiam longa poenitentia.

IV. Ab irregularitate *superventa vel detecta post ordinem sacrum* iam susceptum; sed in aliquibus casibus tantum, v. g. epilepsiae et amentiae, vel tunc quoque defectus natalium.

V. Ab *interstitiis*; non tamen (seclusa dispensatione apostolica) ordinem sacrum conferendo *extra tempora.*

228. *Quid potest dispensare Episcopus* ***circa matrimonium?***

Praeter impedimentum voti dummodo sit simplex et non reservatum, iuxta supra dicta; Episcopus dispensare potest in sequentibus casibus.

I. A publicationibus; sed solum pro persona sit subdita; non vero quoad aliam quae esset diversae dioecesis, eiusque Episcopus pro illa publicationes exigeret. Gury (*II. n. 740*).

Aliquando potest nedum dispensare a publicationibus, sed etiam concedere ut matrimonium celebretur occultissime, nempe ad modum matrimonii conscientiae. Vide *Theol. mor.* (*Vol. V n. 1017*).

II. A tempore feriato; attamen concedendo solum simplicem matrimonii celebrationem, prout explicabitur suo loco (*Theol. mor. Vol. IV n. 129*).

III. Ab impedimentis etiam dirimentibus, dummodo sint occulta; sed solum si detegerentur dum omnia sunt parata, vel quando matrimonium iam fuisset contractum, iuxta dicenda *Theol. mor.* (*Vol. V n. 1019*).

IV. Ab impedimentis dirimentibus etiam publicis quoad moribundos sive concubinarios sive civiliter tantum coniunctos, ut *l. c.* declarabitur.

229. Ex facultatibus S. Poenitentiariae, quas Episcopi habere solent, dispensare possunt ab occulto impedimento affinitatis ex copula illicita, atque etiam ab impedimento pariter occulto criminis (secluso casu coniugicidii), tum si matrimonium iam sit contractum, tum si detegetur dum omnia sunt parata etc.

Ex iisdem facultatibus dispensare possunt ad petendum debitum, quod vetaretur sive propter impedimentum voti simplicis et privati, sive propter incestum, matrimonio iam contracto, commissum etc.

Pro declarationibus, vide in fine huius voluminis pagellam S. Poenitentiariae; et nota quod facultates istae coincidunt cum illis, quas Episcopi iam habent iure quasi ordinario iuxta dicta *n. 223*.

230. Multi dicunt, Episcopum posse dispensare ab impedimentis dirimentibus, si sint dubia, non solum dubio iuris (pro quibus iam non exigitur dispensatio), sed etiam dubio facti. Sed hoc non est admittendum. Vide *Theol. mor. Vol. V 1019*; ubi alia quoque circa facultates dispensandi in Episcopo (et speciatim quomodo, eveniente illius morte, transeant ad successores) notantur.

231. *Quid de aliis casibus, in quibus potest dispensare Episcopus circa* ***leges pontificias,*** *aut illas leges divinas, in quibus Pontifici quoque dispensatio competit?*

In legibus istis Episcopi (utique ex facultate a Pontifice eisdem communicata) dispensare possent nedum si in lege ipsa expresse diceretur Episcopos posse dispensare, sed etiam si ut illi dispensarent iam adesset consuetudo (quae utique ad iurisdictionem conferendam sufficit), et contingere solet in casibus sequentibus.

I. *Si casus urgeat;* magna scilicet urgeat necessitas, nec adsit tempus et modus ad S. Sedem recurrendi, et agatur de re, in qua (attenta ipsa casus urgentia) consensus Ecclesiae praesumi debeat. Et sane aphorismus dicit, quod in casibus urgentibus Episcopus facere potest in sua dioecesi quod potest Papa in toto mundo.

II. *In rebus minutis*, quae nimis frequenter occurrunt; v. g. (intellige semper cum personis particularibus) quoad ieiunium; quoad abstinentiam a carnibus (sed solum ad breve tempus); quoad opera servilia die festo; quoad officium divinum pariter ad breve tempus; quoad celebrandam missam ante auroram vel post meridiem (in aliqua occasione); quoad missas in diverso altari vel etiam in diversa ecclesia celebrandas, sed solum si prior ecclesia vel capella destructa fuisset (Trid. *XXI.* VII), aut non de translatione stabili, bene vero de permissu pro casibus particularibus ex causa rationabili, et salva obligatione altaris privilegiati (vide Ferraris v. *Missae sacrificium A. IV 19*); quoad binationem, sed solum in casibus a Benedicto XIV concessis praecise, non vero in similibus (vide *Theol. mor. Vol. IV n. 580*) etc.

III. Si lex generalis dicat: *donec dispensetur*; haec enim dictio inutilis esset si dispensationem pontificiam significaret.

Excipe tamen nisi stylus curiae aut consuetudo dictionem istam aliter intellexisset. Cf. Ballerini (*Op. th. I 287*).

IV. Si lex esset quidem pontificia, sed ad aliquam dioecesim restricta, non vero universalis.

Aliqui dicunt Episcopum dispensare posse toties quoties Pontifex dispensationem sibi expresse non reservaverit; sed hoc falsum est. Reservatio dispensationis non oportet ut exprimatur, quum iam per se subintelligatur, eius enim est solvere cuius est ligare. Cf. Ballerini (*Op. th. I. n. 288*).

S. Lig. (*VI 359*) cum aliis dicit, Episcopum concedere posse facul-

tatem celebrandi in Oratorio privato, dummodo ex causa rationabili et non ad modum habitus. Sed de hoc vide *Theol. mor.* (*Vol. IV n. 465.*)

232. *Quid de facultatibus Episcoporum dispensandi* ***iure specialiter delegato?***

I. Duplex esse potest haec facultas; nempe 1° *pro casu particulari*, v. g. pro tali vel tali matrimonio proxime contrahendo; 2° *habitualiter*, nempe pro omnibus casibus eiusdem speciei, qui in posterum occurrent.

II. Facultates habitualiter delegatae, quas Episcopi habere solent, nedum sunt illae quae continetur in notissima pagella S. Poenitentiariae, sed plures aliae, speciatim iuxta temporum circumstantias necessariae.

III. Quomodo facultas intelligi debeat, pendet a concessionis tenore, qui proinde attente considerari debet.

IV. Interdum concedi solent facultates, quas Episcopi iure etiam quasi-ordinario habent, si apud theologos dubium aliquod supersit; ut mox supra innuebam. Tunc autem concessio intelligenda erit *ad cautelam.*

V. Inspiciendae erunt conditiones, v. g. an sint ad annum, vel triennium, vel quinquennium etc.; an sint subdelegabiles (singulariter vel etiam habitualiter, et cuinam?); an valeant pro solo foro conscientiae, an vero etiam pro foro externo; an valeant solum pro subditis, an vero etiam pro peregrinis etc.

233. *An Episcopus possit dispensare* ***a legibus Concilii Provincialis?*** Per se loquendo ad Concilium ipsum dispensatio spectaret; sed, quum practice non possit expectari ut coadunetur, consuetudo est ut Episcopi iustis de causis subditos suos dispensent. Cf. *Monitore* (*Vol. XII 463*).

PUNCTUM IV.

De potestate dispensandi in Vicariis Capitularibus.

234. *Potestne Vicarius Capitularis dispensare in iis omnibus in quibus potest Episcopus?*

Affirmative; facultatem scilicet habet dispensandi in iis omnibus, in quibus Episcopus (si viveret) dispensare potest auctoritate 1° ordinaria; 2° quasi ordinaria; non

vero in iis in quibus solum auctoritate specialiter delegata dispensare poterat; nisi forte delegatio non ad Episcopum praecise, sed ad Ordinarium delegata fuisset, Vicarius Capitularis enim utique Ordinarius est.

Notandum autem quod hodie ex decreto S. C. S. O. facultas dispensandi ab impedimentis matrimonii pro casu particulari committitur Ordinario, unde semper etiam ad successorem transit. Vide *Theol. mor.* (*Vol. V 1019. 8°*).

Non ita pridem quaestio fiebat an Capitulum facultates aliquas sibi reservare valeret; sed hodie iam certum est nullam reservationem fieri posse, ut patet ex Const. *Romanus Pontifex* Pii IX (apud Vecchiotti *I 82*).

PUNCTUM V.

De facultate dispensandi in Vicariis Generalibus: aut aliis, qui absente Episcopo ad universitatem causarum deputentur.

235. *Quid de facultate dispensandi in Vicariis Generalibus?*

Recolendum quod Vicarius Generalis (quo nomine veniunt etiam illi qui dicuntur Pro-Vicarii generales) potest habere 1° mandatum generale sive absolutum sive restrictum; 2° mandatum speciale.

Mandatum generale absolutum consistit in iis omnibus facultatibus iurisdictionis (non vero Ordinis, etsi Vicarius ipse episcopali dignitate insignitus esset), quae de iure vel consuetudine concedi intelliguntur eo ipso quod quis Vicarius Generalis constituitur.

Restrictum vero contingit quando Episcopus restrictiones facit, quas tamen nec sine gravi causa nec multum facere potest; secus enim Vicarius Generalis esset de nomine sed non de facto, et perinde esset ac si Episcopus non haberet Vicarium Generalem, qui consequenter iurisdictione ordinaria tunc non gauderet, atque illius actus (quatenus a Vicario Generali fieri deberent) invalidi essent.

Mandatum speciale contingit quando Episcopus, sive ab initio (in instrumento constitutionis Vicarii) sive postea, Vicario suo concedit tales vel tales facultates, quae in

generali mandato minime comprehensae censentur. Cf. De Angelis (*I.* XXVIII *12*).

An autem mandatum speciale dari possit formula generali (dicendo, v. g, do tibi omnes facultates, illis quoque comprehensis quae mandatum speciale exigunt) : vide Ferraris (v. *Vicarius Ep. n. 84*).

In solo mandato generali (et a fortiori in restricto), quaedam negotia gravissima (quae enumerat Zitelli *Apparatus C. V. A. I*) non comprehenduntur. Huiusmodi essent v. g. conferre beneficia; poenas graves infligere; vel ab iisdem absolvere; sacram visitationem peragere; leges synodales mutare; synodum convocare; litteras dimissoriales praesente Episcopo, concedere etc. Generatim nequidem officia gratiosa comprehensa censentur, cuiusmodi sunt (ut docent Canonistae) dispensationes.

Vi itaque dicti mandati, Vicarius Generalis neque a votis, neque a iuramentis, neque ab irregularitate aliqua, neque a recitatione officii, neque ab aliis legibus dispensare valet. Reiff. (*I.* XXVIII *85*), Vecchiotti (*I 70*), Ferraris (*n. 67*), Scavini (*II. 43*), S. Lig. (*III 256*) etc.

Huic regulae tamen duae exceptiones fieri debent. Prima est si, ex consuetudine generali aut particulari, Vicarius Generalis aliquam dispensationem concedere possit; qua de re exemplum praebent in dispensatione a publicationibus matrimonii. S. Lig (*VI 1007*), Ferraris (*l, c. 60*), Reiff. (*l. c.*), Scavini (*III 815*) etc. Secunda est si Episcopus longe abesset nec facile interpellari posset; tunc enim, sicut dimissorias pro clericis ordinandis concedere (Ferraris *l. c. 64*), ita etiam ab interstitiis dispensare posset (Lucidi *I.* II *122*; Giraldi *II.* CI *3*: Scavini *III 815* etc.). Tunc autem a fortiori in rebus minoris momenti dispensationes concedere valeret; nec pro his (si quid opinor) attendendum erit si forte satis commode ad Episcopum scribere posset; ipsa enim frequentia casus difficultatem induceret.

De mandato speciali an possit Vicarius talem vel talem dispensationem concedere, ex tenore mandati ipsius diiudicandum erit. Hoc autem nedum expressum sed etiam tacitum esse potest, et facile contingit in rebus minutioribus, et frequenter occurrentibus, ut puta, si, sciente et

non contradicente Episcopo, passim circa ieiunium, circa opera servilia etc. dispensaret. Reiff. (*l. c. 85*).

236. *Loquendo* ***de deputatis ad universitatem causarum,*** *qui ab Episcopo discedente et non habente Vicarium generalem vice sua relinqui solent, possuntne isti exequi dispensationes a S. Sede commissas?*

Distinguendum est. Si dispensationis executio commissa fuisset *Ordinario*, tunc invalide prorsus subdelegaretur huiusmodi deputatis, quia non sunt Ordinarii; et casum habes in dispensationibus quae pro casu particulari a Dataria vel Poenitentiaria conceduntur.

Si autem facultas dispensandi data fuisset Episcopo habitualiter, et sine restrictione (quoad facultatem subdelegandi), tunc posset illam subdelegare nedum suo Vicario Generali sed etiam aliis; et in tali casu in universitate causarum haec etiam facultas comprehenderetur, atque a sic delegato valide exerceretur. Vide decisiones authenticas apud *Monitore* (*Vol. XVI n. 243*).

PUNCTUM VI.

De potestate dispensandi in Regularibus.

237. Agitur de Regularibus veri nominis, nempe vota solemnia habentibus, et distinguendum est inter facultatem dispensandi cum suis, et cum saecularibus.

Praelati regulares, *erga suos subditos* et famulos intra claustra perpetuo degentes, iurisdictione quasi episcopali gaudent; unde illos a recitatione officii divini, a ieiunio, ab abstinentia a carnibus, a votis *non* reservatis, ab irregularitatibus sive ex delicto occulto (excepto homicidio votuntario), sive (pluribus in casibus) aliter provenientibus, dispensare possunt. Gury (*II 175. 176 I 332*).

Regulares erga non subditos (recepta facultate a propriis Provincialibus) solum pro foro interno, et (iuxta plures) solum actu sacramentalis confessionis, dispensare possunt a votis S. Sedi non reservatis et ab impedimento petendi debitum coniugale propter incestum aut votum

castitatis (etiam perpetuum), et ab irregularitatibus ex delicto occulto (ut supra).

Notandum quod haec dispensandi facultas non extenditur ad alumnos piarum Congregationum votorum simplicium; imo restringitur ad Mendicantes aliosque cum iisdem in privilegiis communicantes.

PUNCTUM VII.

De facultate dispensandi in Parochis.

238. *Habentne Parochi facultatem dispensandi?* Ipsi ordinarie solum docent et declarant; sed interdum licentias concedunt, et interdum vere dispensant.

239. *Quid de* ***licentiis?*** Licentia intervenit quando parochiani hoc vel illud facere possunt; sed, ad evitandum periculum ne limites excedant, vel ne scandalum sequatur, lex aut consuetudo exigit, ut a parocho licentiam petant.

Casus accidit apud nos speciatim ruri in quibusdam operibus servilibus die festo publice peragendis in aliquibus circumstantiis. Cf. Suarez (*De Rel. II.* XXXIII *3*).

240. *Quid de veris* ***dispensationibus ?***

Non pro tota paroecia, sed pro hoc vel illo parochiano parochi dispensationes aliquas concedere possunt.

Interdum autem praesente Episcopo (scilicet quamvis Episcopus facile interpellari posset), et interdum solum quando, urgente necessitate, Episcopus adiri nequeat, dispensare valent.

241. *Quinam sunt casus practici, in quibus parochi dispensare valent, etiam praesente Episcopo?*

Respondet S. Lig. (*III 288*): « Etiam praesente « Episcopo, parochi ex consuetudine possunt dispensare in « minutis et frequentibus necessitatibus; in iis tamen rebus « tantum, in quibus ex consuetudine introductum est ipsos « dispensare ».

Veniendo autem ad particularia, 1° concedere possunt ut in alia Ecclesia aliqui praecepto paschali satisfaciant; 2° dispensare valent personas particulares (attentis specialibus circumstantiis valetudinis, laborum etc.) quoad ieiunium, nedum pro uno vel altero die, sed indeterminatim (S. Lig. *III 1032. 3*); 3° quoad abstinentiam a carnibus

aliisque cibis vetitis; sed hoc (nisi ageretur de declaratione pro personis iam sufficienter et certe per se excusatis) solum pro aliquo casu vel ad tempus (Gury *Cas. consc. I 109*); 4° quoad opera servilia diebus festis, speciatim ruri (S. Lig. *III 288* et Suarez *De Rel. II* XXXIII. *2*); 5° quoad auditionem Missae diebus iisdem.

Sed haec omnia semper intellige ut supra; scilicet solum pro casibus particularibus, atque ad tempus.

242. *Quinam sunt casus practici, in quibus parochi dispensare quidem possunt, sed solum si Episcopus adiri nequeat?*

Sic dispensare valent in quibusdam casibus gravioribus urgente necessitate. (D' Annib. *I 208*). Casus verificatur praecipue in matrimonio; scilicet 1° Si talis ac tanta urgeret necessitas illud sine mora et hic et nunc celebrandi *omissis denunciationibus*, ita tamen ut illas praetermittendi Episcopus ipse (si adiri posset) facultatem concedere teneretur (S. Lig. *VI. 1007*). 2° Si ipso mane, quo matrimonium, omnibus iam paratis, celebrari debet, impedimentum dirimens occultum et ortum ex causa probrosa detegeretur. Hoc admitti posse videtur etiam quoad impedimentum publicum, si forte (quod admodum difficile erit) ex dilatione tunc quoque gravissima mala secutura essent. De hoc agitur in *Theologia pastorali* (*Ed. III n. 401*) et fusius *De occasionariis* (*n. 135 136*).

Plures tamen censent quod in his casibus parochus non proprie dispensaret, sed solum declararet quod lex sive impediens sive dirimens matrimonium in illis circumstantiis epicheiam subiret et per se cessaret. Cf. S. Lig. (*VI n. 613 et 1007*), Sanchez (*III.* x *n. 27*), Salmanticenses (*IX.* VIII *n. 83*) etc.

Pro casu autem *moribundi*, vide *Theol. mor.* (*Vol. V n. 1019*).

PUNCTUM VIII.

De facultate dispensandi in confessariis.

243. *Habente* ***confessarii*** *ullam dispensationes concedendi facultatem?* Praescindendo a Regularibus (ut supra), negative. Excipe tamen 1° Confessarium monialium, si forte in aliquo monasterio adesset consuetudo ut confessarii aliquas minutiores dispensationes concederent. 2° Con-

fessarium cui Episcopus delegasset faccultatem aliquam (v. g. circa vota simplicia) sibi ordinariam. 3° Confessarium habentem facultates S. Poenitentiariae, quae ab Episcopo quoque illas habente ei (sive pro casu particulari, sive etiam habitualiter) subdelegari possunt. Vide pagellam S. Poenit. *in fin. huius vol.*

ARTICULUS IV.

De causis requisitis ut dispensatio sit licita, et valida.

244. *Ut dispensatio sit licita, exigiturne semper* ***causa proportionata?*** Affirmative; quamvis enim expediat, et modo etiam oporteat, ut dispensationes concedantur; tamen, si absque causa proportionata concederentur, rectus ordo (cui leges consulunt) detrimentum pateretur, et leges dissiparentur ; atque insuper, si sic dispensationes aliquibus concederentur et aliis non, acceptationi personarum et quaerelis aditus aperiretur.

245. *Quid* ***de gradu culpae*** *dispensando sine causa?* Decisio pendet a circumstantiis. Circumstantiae quae peccatum mortale facile inducerent, sunt speciatim sequentes : 1° Si lex esset valde momentosa et in viridi observantia. 2° Si usus dispensationis vel ipsa dispensatio notabile scandalum ingereret. 3° Si ad aliquos dispensandos oporteret ut alii magis gravarentur (prout evenire posset in tributis et in conscriptione militari). 4° Si dispensatio in grave praeiudicium spirituale dispensati ipsius redundaret. 5° Si ex dispensatione malae consequentiae, pericula vel damna gravia, utcumque sequerentur. 6° Si Superior *frequenter* sine causa ad dispensationes procederet. 7° Si dispensator esset delegatus, et sic (ut mox videbimus) dispensationes ipsae sine causa concessae forent invalidae. Cf. Ballerini (*Op. theol. I 274*). Tunc autem Superior dispensationes ita perperam concessas sub gravi revocare teneretur.

246. ***Quaenam*** *sunt* ***iustae causae*** *dispensandi?*

I. Imprimis nec sufficit incommodum consuetum (nisi aliqua alia ratio superaddatur), nec exigitur causa talis quae iam ex sese ad excusandum certe sufficeret.

II. Causa dispensandi potest esse *intrinseca* et *extrinseca*. Intrinseca est quando subiectus versatur in speciali difficultate legem observandi (v. g. propter periculum incontinentiae in voto castitatis, debilitatem in ieiunio etc.); vel non expediat ut ille legem observet, ut puta, si officium recitando (ut posset contingere in missionario tempore missionis) bona maiora (maxime si essent etiam obligatoria) exequi non posset.

Extrinseca contingit quando subiectus posset quidem sine provocatione alicuius malae consequentiae legem observare, sed extet ratio propter quam expediat ut Superior illum dispenset.

Exemplum habes in dispensationibus, quae conceduntur propter taxam piis causis applicandam; vel merita specialia (virtutis, scientiae, existimationis, nobilitatis, laborum etc.) personae; vel duritiem cordis atque ad evitanda mala maiora (v. g. matrimonium civile, concubinatum etc.); vel occurrente occasione publicae laetitiae vel in qua expediat ut Superior ipse ostendat specialem benignitatem, aut personas erga religionem vel rempublicam bene affectas reddat.

Sed quid de dispensationibus quae dicuntur *sine causa?* Ita appellantur, non quia proprie sine causa Superior dispenset, sed quia causam non exprimit (prout aliquando contingit, si causa mere extrinseca fuerit). Interdum autem Superior dicit: *Ex certis rationabilibus causis*, quae expressio in idem recidit. Cf. Vecchiotti (*III* § *112*).

III. Ad decidendum an talis vel talis causa (sive intrinseca sive extrinseca) sufficiat, prima regula desumitur ex consuetudine Superiorum prudentum; unde dispensatio concedenda vel deneganda erit, secundum quod in loco consuetudo sit ut in circumstantiis expositis concedatur vel denegetur.

Si autem, propter raritatem casus vel interventum alicuius circumstantiae extraordinariae, ex consuetudine nihil percipi possit; tunc Superior specialem prudentiam et considerationem adhibere debebit, et aliquod lumen habere poterit ex monitis sequentibus.

1°) Causa tamquam sufficiens haberi poterit, si sit ita gravis ut iam fere sufficiat ad exscusandum, vel dubium sit an dispensatio exigatur (et multo magis si iam certe per

se sufficeret, unde non de dispensatione, sed de sola licentia vel declaratione ageretur).

2°) In dispensatione concedenda, non bonum privatum tantummodo sed etiam bonum publicum respici debet: et bene contingere potest quod causa esset sufficiens attento bono petentis, sed propter bonum publicum tamquam insufficiens haberi debeat. Exemplum habes in voto solemni castitatis (maxime subsistente etiam ordine presbyteratus), cuius dispensatio (exceptis circumstantiis specialissimis, magnisque cautelis adhibitis) denegaretur, quamvis illo ligatus in periculo incontinentiae (imo et damnationis) versaretur. Hinc quaedam leges ita firmae sunt retinendae, ut fere nullam dispensationis spem admittant. Exemplum habes quoque in impedimento clandestinitatis, si nequidem civiliter matrimonium fuisset contractum.

3°) Leges, quae ad coercenda magna et extraordinaria delicta latae fuerunt, difficile dispensationem patiuntur. Exemplum habes in impedimento criminis interveniente coniugicidio, et in irregularitate ex homicidio voluntario (Cf. Pagella casuum S. Poenit. *n. 12*).

4°) Difficile pariter sufficit causa delictuosa, quae ad facilius obtinendam dispensationem apposita fuisset. Exemplum habes in graviditate ad hunc finem procurata. (Cf. Instruct. S. C. de Prop. Fide super dispens. matrim. *9 Maii 1877 n. 8*).

5°) Causa gravior in gravioribus exigitur, et minor in levioribus sufficit. Exemplum habes in impedimentis matrimonii, quatenus facilius in gradibus remotioribus et difficilius in propinquioribus dispensatio conceditur.

6°) Aliud est si de dispensatione generali quoad totum populum, et aliud si de dispensationibus particularibus; et de his postremis aliud est si de actibus publicis (v. g. de operibus servilibus die festo publice exercendis) et aliud si de actibus privatis vel occultis; item aliud si de una vel altera vice, aliud vero si de tempore diuturno ageretur.

7°) Causa maior requiritur quoad leges quae (attentis etiam circumstantiis loci et temporis) sint (ut supra innui) in viridi observantia, et minor sufficit in aliis.

IV. Iudicium de sufficentia causae efformari debet, rem in complexu considerando. Hinc dispensatio dari potest facilius a ieiunio ecclesiastico, et difficilius a ieiunio naturali Eucaristiae susceptioni praemittendo (qui enim ieiunium servare nequit, necessitatem Eucharistiam sumendi, excepto causa viatici, minime habet); et plures causae quae singillatim non sufficerent, simul iunctae sufficere possunt.

247. *Quid si Superior versaretur* ***in dubio*** *an causa dispensandi esset sufficiens, vel ullo modo subsisteret?* Si casus resolvi nequeat adiiciendo conditionem *si vera sint exposita* (vel quid simile), aut considerando intervenire casum perplexitatis (ita ut Superior timeat male facere tam si dispenset, tam si dispensationem deneget); si, inquam, casus sic resolvi nequeat; tunc theologi communius distinguunt. Aut Superior dubitat an causa (v. g. merita erga Ecclesiam) ullo modo subsistat, aut dubitat an sit in tali gradu ut ad dispensandum sufficiat.

In primo casu dicunt dispensationem denegari debere, et in secundo (ad angustias, scrupulos et haesitationes in re adeo frequenti evitandas) causam dubie sufficientem tamquam absolute sufficientem haberi debere, et dispensationem concedi posse. S. Lig. (*I. 178*).

248. *Causa sufficiens, quae exigitur ut dispensatio sit licita, exigiturne etiam ut dispensatio sit valida?*

Distinguendum est inter dispensantem in lege propria vel antecessoris vel inferioris, et dispensantem in lege Superioris altioris.

Dispensatio in lege propria vel antecessoris vel inferioris, si absque causa ulla vel sufficienti concedatur, est quidem illicita (ut vidimus) sed valida; obligationis enim vinculum a voluntate lagislatoris pendet. Probatur exemplo patris, qui praecepisset filiis omnibus non manere extra domum ultra primam horam noctis, et postea sine causa aliquem ex illis ab hoc praecepto exemisset. Nunquid enim filius ille foris remanendo inobedientiam committeret? (Ballerini *Op. theol. I 272*).

Imo valeret dispensatio, etsi de illa non concedenda iuramentum aut votum emissum fuisset; tunc enim peccaret quidem Superior contra iuramentum aut votum dispensando, sed subditus liber remaneret, et sic dispensatio effectum haberet.

Hoc tamen semper intelligendum erit si Superior vere intentionem habuisset dispensandi sine causa; non vero si a petente deceptus fuisset, et multo magis si expresse dixisset, v. g. *si ita sit*, vel *si vera sint exposita* etc.

Aliter loquuntur theologi de dispensatione, quae in lege Superioris altioris concedatur; et dicunt quod quando dispensatio, ob causae deficientiam vel cognitam insufficentiam, in Superiore altiore esset illicita, in Superiore subordinato esset etiam invalida.

Ratio est quia, ut ait Suarez (*De voto VI.* XVIII *3*), « Non dispensat « (superior subordinatus) ut dominus, sed ut minister, quia non posset « excedere commissionem suam.... Sicut inter homines procurator remittens « domini debita (vel donans) sua sola voluntate, nihil faceret; et manda- « tarius excedens fines mandati non operatur valide ».

Hoc certe verum est quoad dispensationes advertenter sine causa sufficienti concessas; praesumi enim nequit, quod Superior inferiori concesserit facultatem dispensandi quomodolibet, atque etiam leges dissipando per fas et nefas.

249. *Sed quid si Superior in lege Superioris altioris, in dubio de sufficientia vel existentia causae, dispensationem concederet?* Supponendum imprimis, dispensationem concedi obsolute, non vero sub stricta conditione v. g. *si talis vel talis causa plene subsistat; vel dummodo verificaveris accurate quod causa subsistat;* tunc enim de causae ipsius existentia ita exigeretur certitudo, ut, illa nullatenus aut valde defectuose existente, dispensatio invalida foret. S. Lig. (*I 193*). Sed si Superior conditiones huiusmodi non apposuisset, tunc si dubium versetur solum circa sufficientiam causae, mihi placet sententia Sanchezii (*Dec. IV.* XLV. *10*) docentis facultatem perdurare, quia (ait) « id petit bonum et suave Ecclesiae regi- « men: esset enim multis scrupulorum occasionibus expo- « sita potestas, si ad solas causas certas extenderetur, et « vix auderent Superiores dispensare ». Et in hoc consentit etiam S. Lig. (*I 192*) inquiens: « Tunc dispensans « non obligatur ad examen de plena sufficientia causae ».

A fortiori valida mihi videtur dispensatio si talis Superior firmiter credidisset causam esse sufficientem, dum reapse sufficiens non fuisset.

Sic profecto docent theologi plurimi. Equidem dissentit S. Lig. (*III 251*); sed nec huius sententiae cohaerentiam video, nec illam sequendi obligatio aderit. Cf. Ballerini (*Op. theol. I 311*).

250. Si vero causa nedum esset insufficiens, sed deesset omnino, tunc theologi communiter admittunt, quod, non obstante dubio vel erronea certitudine Superioris, dispensatio (quamvis ab ipso Summo Pontifice in voto aut iuramento concessa fuisset) invalida esset. Rationem adducunt quia, quum agatur de casu rarissimo, recta Ecclesiae gubernatio non petit eam potestatem, sicut petit quando constat de causa et de sola eius sufficientia dubitatur. Sanchez (*l. c.*) et Baller. (*l. c. 310*).

251. *Quid si* ***subditus,*** *cui a Superiore subordinato concessa fuit dispensatio,* ***versaretur in dubio aut certe conspiceret,*** *causam dispensationis nullatenus subsistere?*

In dubio praesumendum esse pro Superiore atque adeo standum pro validitate dispensationis, mihi certum videtur, et consentit S. Lig. *(III 351)*.

Si autem subditus evidenter conspiceret nullam omnino causam adesse; tunc certe (per se loquendo) dispensatione obtenta a Superiore subordinato uti nequiret. Ballerini (*l. c. 310*).

252. *Valetne dispensatio, quae* ***temere*** *et sine cognitione causae a Superiore subordinato concessa fuisset,* ***si revera causa subsisteret?*** Affirmant communius cum S. Lig. (*I 181*), quia valor dispensationis non pendet a cognitione causae, sed ab existentia illius, sicut valet electio capacis ad beneficium, licet capacitas ignoretur ab electore.

253. *Valetne* ***dispensatio tacita?*** *Et quandonam intervenit?*

Valet certe; et intervenit 1° Si Superior, sciens quomodo res se habeant, aliquid praeceperit vel concesserit subdito, quod sine dispensatione fieri aut valere nequiret; v. g. si Pontifex concederet Beneficium irregulari, dum iam certe constaret de tali irregularitate illum habere notitiam. 2° Si Superior transgressionem legis in aliquo subdito ita videat et taceat, ut ex circumstantiis praesumi debeat quod iam sit contentus.

Hoc tamen non facile praesumi debebit; saepe enim non de consensu, sed de prudentia, de dilatione correctio-

nis ad tempus opportunius, de tolerantia ad vitanda mala maiora, aut etiam de negligentia vel pusillanimitate Superioris ipsius agitur. Quis enim dixerit, v. g. quod Episcopus, videns subditum irrregularem celebrare, statim intendat illum dispensare ab irregularitate, quia statim illum non corrigat? Cf. Ballerini (*Op. th. I 329*).

254. *Valetne dispensatio* ***metu gravi concessa?***

Metus incussio posset esse iusta; si nempe Superior illam concedere recusaret inique, et subditus iustam accusationem ei minitaretur.

Sed supponendo etiam metum fuisse iniustum, dispensatio valeret; ex una parte enim metus non tollit voluntarium, et ex alia nulla lex talem dispensationem irritam reddit. Excipe nisi sic petita fuisset dispensatio quam Superior concedere valide non potuisset; aut ore dumtaxat et ficte prorsus (quod tamen non praesumitur), illam concessisset. Posset autem Superior (uti patet) illam revocare. S. Lig. (*I 184*).

255. *Ad dispensationis validitatem* ***quid praeterea exigitur?*** Oportet ut non sit vitiosa, seu (ut dicunt Canonistae) non laboret vitio sive *formae*, sive *personarum*, sive *precum*. (Hoc autem de quibuslibet rescriptis verum est).

256. *Quandonam interveniret invaliditas ex* ***vitio formae?*** Quando rescriptum appareret apocryphum aut substantialiter adulteratum etc., qua de re vide Vecchiotti (*I § 53*).

257. *Quandonam interveniret invaliditas ex* ***vitio personarum?***

Quando persona sive concedens sive impetrans esset ad concedendum vel impetrandum *inhabilis*.

A parte concedentis inhabilitas interveniret, si concessio limites eiusdem potestatis excederet, ut puta, si in lege Superioris altioris dispensaret sine auctoritate.

Hac in re notandum quod dispensatio ab illegitimis natalibus, quae a Principe laico concessa fuisset, quoad effectus civiles quidem, non vero quoad ecclesiasticos (scilicet ad tollendam irregularitatem circa Ordines et Beneficia) valere posset.

A parte impetrantis inhabilitas intervenire posset propter excommunicationem, etiam occulte contractam. Vecchiotti (*l. c. § 51*).

Haec tamen inhabilitas valde restringitur, et practice vix unquam verificatur.

Tria enim exigerentur; nempe oporteret 1° ut ageretur de rescripto papali (de quo solo loquuntur Canones *C. I De rescript. in 6°*);

non vero de dispensatione concessa ab Episcopo, etsi facultate a S. Sede obtenta illam concessisset; tunc enim etiam de rescripto papali minime ageretur et odia sunt restringenda (De Angelis *I.* III 3). Quia autem in rescriptis papalibus apponi solet absolutio ab excommunicatione (etsi solum ad effectum, scilicet unice ut rescriptum validitate non careat, eadem postea censura reviviscente), hinc oporteret 2° ut impetrans in excommunicatione per annum continuum (etsi interdum quatuor menses sufficiant) insorduerit; in hac enim circumstantia absolutio praedicta (ex Regula Cancellariae LXVI) non valere censetur (Cf. De Angelis *l. c.*). 3° Oporteret ut ille dispensationem petiisset solum pro se, non vero simul pro alio minime excommunicato. Si enim rescriptum concedatur pro negotio duabus personis communi, quarum una capax esset suscipiendae gratiae, et alia incapax (prout accidere potest in dispensationibus matrimonialibus); De Angelis (*l. c.*) docet, rescriptum tunc pro utraque parte valere, ne scilicet ex malitia unius pars innocens plectatur, aut facultate impetrandi rescriptum privetur.

258. *Valetne rescriptum quod quis petat pro alia persona non mandante et de petitione ista nihil sciente?* Respondet De Angelis (*l. c.*) iure consuetudinario receptum esse id valide fieri posse, et quidem quoad rescripta nedum gratiae (v. g. pro dispensatione), sed etiam iustitiae (ad lites). Sed hac de re vide infra (ubi *de subiecto dispensationis).*

259. *Quandonam interveniret invaliditas ex* ***vitio precum?***

Si in petitione *subreptio* vel *obreptio* locum haberet. Subreptio in reticentia rei necessario manifestandae; obreptio autem in expressione falsitatis substantialis (ut mox explicabitur) consistit.

Defectus huiusmodi a parte sive illius qui dispensationem obtinere vult; sive confessarii aut cancellarii aut procuratoris (vulgo *agentis*) supplicem libellum scribentis, idque sive bona sive mala fide, accidere potest. Sed haec sunt declaranda.

260. *Quid de* ***subreptione?*** *Quaenam scilicet reticentiae dispensationem subreptitiam et invalidam reddunt?* Hoc accidit in sequentibus casibus.

I. *Si occultentur ea, de quibus in particulari lex aliqua pro valido manifestanda esse decernat sive explicite sive implicite.*

Hoc autem decerneret implicite, si lex diceret, v. g. *sine spe dispensationis,* vel *nunquam dispensetur* etc. Exemplum habes in Trid. (*XXIV de refor. matr. V*) dicente: « Si quis intra gradus prohibitos *scienter* « matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis « consequendae careat ».

II. *Si occultentur ea, quae, sive ex consuetudine Principis sive ex stylo Curiae Romanae, necessario exprimenda sint.*

Exemplum habes in necessitate exprimendi, v. g. in dispensationibus matrimonialibus, an matrimonium iam fuerit contractum, et an bona fide saltem a parte unius; item an omissae fuerint proclamationes, vel an copula (quae adducatur pro motivo dispensationis), aut ipsa matrimonii celebratio, sub spe dispensationem facilius obtinendi perpetrata fuerit, et an matrimonium fuerit consummatum bona aut (etsi solum a parte unius) mala fide etc. Idem dic quoad petitionem sanatoriae pro missis non celebratis, si animo illam obtinendi missae celebratae non fuerint. Scavini *III.* IV *n. 264.*

261. Inter ea, quae ex stylo curiae necessario exprimenda sunt, notari debet quod, si petatur dispensatio pro matrimonio, omnia impedimenta simul manifestanda sunt.

Dicitur 1° *si petatur dispensatio pro matrimonio*, quia in aliis materiis (v. g. irregularitatum, votorum sine relatione ad matrimonium etc.) haec regula non curreret. Dicitur 2° *omnia impedimenta;* unde exprimendum erit etiam si immisceretur aliquod impedimentum impediens, vel si impedimentum ex duplici capite oriretur (prout in consanguinitate affinitate et crimine contingere posset, ut suo loco declarabitur). Dicitur 3° *simul*, quia non sufficeret plures pro illis dispensationes petere successive, vel unam ab uno et aliam ab alio tribunali; unde qui haberet impedimentum honestum, et aliud turpe (occultum), prout contingeret in eo qui vellet ducere consanguineam cuius sororem carnaliter cognovisset, recurrere deberet prius ad Datariam pro honesto, et postea ad Poenitentiariam nedum pro turpi sed etiam pro honesto, exprimendo utrumque. (Cf. Instruct. S. C. De Propaganda Fide, Suarez *De leg. VI.* XXIV *3. 9* et Sanchez *VIII.* XXIII *2*).

262. Sedulo etiam notari debet quod quando dispensatio est subreptitia et proinde invalida, talis remanet *etsi bona fide* reticentia contigerit; ignorantia enim supplere nequit ea quae lege exiguntur, neque profecto lex ista solum poenalis est; idque diserte declarat S. C. Prop. Fid. (*Instr. super disp. matrim. 9 Maii 1877 n. 16*).

Subreptitia et invalida est etiam quamvis Princeps, cognita quoque illa veritate quae reticita fuit, *nihilominus dispensaturus fuisset;* ille enim intendit dispensare sub conditione quod nihil de iure exprimendum reticitum fuerit, unde in casu dispensationem non concessit; aliud est autem quod fecit et aliud quod fecisset.

263. Quid de regula quae dicit in petitione exprimendum esse omne id, quo cognito, Superior dispensationem nullatenus, vel difficile, vel sub quibusdam diversisve conditionibus, esset concessurus ?

Multi quidem ita docent; sed Sanchez (*l. c. 18*) dicit, regulam istam sic absolute prolatam subsistere non posse, et merito. Titius, v. g. petit dispensationem ab irregularitate pro beneficio: sed tacet alium Superiori valde familiarem beneficium ipsum desiderare et mox esse petiturum; aut tacet tale vel tale crimen (non tamen inducens inhabilitatem ad beneficia obtinenda) se commisisse; tacet, inquam, ita ut, si Superior haec sciret, certo certius gratiam denegaturus esset. Nunquid idcirco dispensatio et beneficii collatio invalida esset? Minime sane. D'Annibale (*I 215*) autem aperte docet sufficere duas regulas mox supra *n. 260* indicatas; nempe sufficere ut exprimantur ea quae ex lege vel stylo curiae vel consuetudine exprimi debent.

Ratio autem est quia secus nulla fere dispensatio vel gratia esset tuta et certa; idque alii plures observant, et ipse Sanchez (*l. c. 19*) in conclusione idem sentire videtur.

264. Ex hac doctrina inferes.

I. Petens dispensationem ab irregularitate quia occidit clericum, probabiliter non oportet ut explicet an occisus laicus an vero clericus fuerit; irregularitas enim ex homicidio non vero ex sacrilegio oritur, neque ex stylo curiae aut consuetudine constat quod haec circumstantia exprimenda sit. Idem dic si plures homines occidisses, vel ter quaterve nupsisses: probabiliter enim non exinde plures irrregularitates aut bigamias contraxisses, et sufficeret si dispensationem propter homicidium vel bigamiam peteres. Ballerini (*Op. th. Vol. I Tr.* III *349*).

II. Si gratia alia vice petita et denegata fuisset, in nova petitione denegationem ipsam indicare non oporteret. Ita docent communiter. Cf. D'Annibale (*I 215 not. 7*). Excipe nisi prima petitio a Superiore ordinario reiecta, et secunda ad Superiorem delegatum directa fuisset; prout si quis, habita repulsa a Dataria Apostolica, ad Poenitentiariam (quae etiam, ex delegatione Datariae, in foro externo pro pauperibus dispensare potest) recurreret.

III. Nulla quoque adesset obligatio exprimendi quod prius aliae dispensationes diversae speciei obtentae fuissent; unde qui nunc petit dispensationem a voto piae peregrinationis, non oportet ut significet quod prius ab aliis votis, vel a recitatione divini officii, vel a ieiunio etc. dispensationem obtinuisset; et qui nunc petit ut dispensetur ab interstitiis, non tenetur exprimere quod prius dispensationem ab irregularitate obtinuerit. Imo ordinarie ne oportet quidem ut exprimatur quod dispensatio eiusdem speciei alia vice obtenta fuerit; idque verum est non solum si

prima invalida fuisset; vel tu ea usus non fuisses; sed probabiliter etiam si valida atque ad effectum deducta fuisset, ut docet d'Annibale (*l. c.*).

Hinc qui petit dispensationem a ieiunio quadragesimae, non tenetur exprimere se anno praecedenti eandem dispensationem obtinuisse: et idem dic de illo qui, postquam dispensatus fuit ad ducendam consanguineam, ea mortua dispensari petat ut aliam consanguineam ducere possit. Dixi *ordinarie;* haec regula enim nonnullas patitur exceptiones. Scilicet excipitur 1° Si dispensatio redundet in damnum tertii: ut puta, si quis dispensatus fuisset a solvendis decimis pro vinea, vel a dependentia ab Ordinario pro aliquo casu, nunc (tacitis his dispensationibus) peteret dispensationem a solvendis decimis pro agro, vel a subiectione Ordinarii pro aliis casibus. Excipitur 2° Si quis obtinuisset dispensationem a voto castitatis, sed haec restricta fuisset ad primum matrimonium; tunc enim si, mortua coniuge, et reviviscente voto, aliam ducere vellet, primam dispensationem significare deberet; sensus quippe novi rescripti esset de primo matrimonio, dum in casu esset secundum. Excipit Suarez 3° Si beneficiatus obtinuisset dispensationem a residentia sine amissione fructuum, v. g. ad quinquennium, et postea peteret aliam dispensationem, v. g. pariter ad quinquennium immediate subsecuturum, tacita prima; tunc enim perinde esset ac si de decennio ageretur, pro quo causa longe maior et cognitio de integro casu in dispensante exigeretur. Excipitur 4° Si de impedimento iterum orto ex eodem (non diverso) delicto res esset, ut puta, si quis obtinuisset dispensationem ab impedimento criminis, et in novo matrimonio idem crimen commisisset, unde, v. g. occiso primo et secundo coniuge, tertium (cum eodem impedimento) ducere vellet: tunc enim huiusmodi recidivitatem significare deberet; in iure quippe scriptum est: « Remissionem veniae « minime nisi semel commissa non habeant » (*L. 3 De Episc. audien.*). De his omnibus Cf. Suarez (*De Leg. XVI.* XXIII) et Sanchez (*De matrim. XIII.* XXII).

Idem dic si, postquam quis pro missis non celebratis *sanatoriam* obtinuisset, postea pro nova sanatoria (primam reticendo) recurreret. Imo quoad missas, si (secluso quoque delicto) peteretur *reductio*, de alia reductione, quae forte prius obtenta fuisset, mentio semper necessaria foret. Scavini (*III 264*).

265. *Quid si quis, obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam, postea (matrimonio non celebrato eaque vivente) peteret dispensationem ad ducendam aliam consanguineam?* Tunc primam dispensationem aut illius renuntiationem significare deberet; secus enim sequeretur quod utraque dispensatione pro lubitu uti posset; imo unusquisque posset multas dispensationes hoc modo obtinere; quod abnormissimum atque a stylo Romanae Curiae alienissimum est. Cf. Suarez (*l. c. 19-21*).

266. *Quid si quis petiisset dispensationem, sed reticuisset obstare ex alio capite ius tertii iam acquisitum, prout contingeret, si quis petiisset atque obtinuisset dispensationem ad ducendam Liviam consanguineam; sed reticuisset sponsalium obligatione se cum Bertha detineri?* In hoc casu rescriptum non valeret; ita tamen ut valere posset, si postea tertius iuri suo renuntiaret. D'Annibale (*l. c.*). — Sed de subreptione iam satis.

267. *Quid de* **obreptione?** *Quaenam scilicet falsitates in petitione insertae dispensationem vel gratiam obreptitiam et invalidam reddunt?*

Regula principalis est quod non omnes falsitates, sed

illae dumtaxat quae substantiales, seu de stylo curiae aut consuetudine vitiantes rescriptum censentur, gratiae concessionem invalidam reddunt.

Hoc accidit I. Si unum impedimentum pro alio, aut si gradus remotior pro propinquiori v. g. si tertius gradus consanguinitatis pro secundo (non autem viceversa) exponeretur.

II. Si quis, dispensatione a voto obtenta cum quibusdam oneribus, postea (fingendo se voto esse adhuc ligatum) peteret dispensationem absolutam.

III. Si causam falsam exposuisset; sed solum quando falsitas causam motivam respexisset (prout statim explico).

Notandum quod falsitates istae reddunt obreptitiam et invalidam dispensationem, sive a Summo Pontifice, sive a quovis alio peteretur.

268. Loquendo itaque de falsitate in expositione causae, dico imprimis quod causae aliae sunt *motivae* (seu finales, aut principales); aut sunt *impulsivae* (seu secundariae) tantummodo.

Causa *motiva* est quae sufficere debet, ut Superior ad gratiam (sive sic et simpliciter, sive tali vel tali modo) concedendam se determinet: *impulsiva* autem efficit solum ut libentius, aut citius et facilius gratiam concedat.

Sic, v. g. ad concedendam dispensationem a voto castitatis, causa motiva esse solet periculum incontinentiae, vel quaelibet gravis indigentia matrimonii; impulsiva autem pietas vel nobilitas vel meritum personae esse poterit.

Ad iudicandum autem in casibus particularibus an haec vel illa causa tamquam motiva vel solum impulsiva haberi debeat, stylo et consuetudini; non vero coniecturali intentioni Superioris (attenta, v. g. eius indole plus vel minus benigna aut rigida) standum erit; secus enim (ut bene observat D'Annibale *I 216 not. 9*) omnia essent incerta et continuis scrupulis obnoxia.

Attamen si, adductis pluribus causis impulsivis dumtaxat, gratia obtenta fuisset; tunc ex illarum (sive omnium sive aliquarum) complexu causa motiva constituta fuisset. An autem ad illam constituendam omnes exigantur, an vero aliquae sufficiant, hoc pariter ex stylo aut communi aestimatione diiudicari debet.

269. Hinc si unica causa fuisset adducta et illa esset falsa, tunc dispensatio semper corrueret. Si plures causae adductae fuissent, et aliquae essent verae, aliae vero falsae: tunc, ad dispensationis valorem, oportet et sufficit ut, si adductae fuerint causae motivae, una saltem ex illis sit vera; si autem adductae fuerint solum causae impulsivae, oportet ut vel omnes sint verae, vel saltem talis earum complexus (ut modo innuebam) verus sit qui ad gratiam concedendam certe sufficere soleat. Nec obstat quod in rescripto dicatur: *si vera sint exposita*; haec enim clausula solum ad existentiam motivi sufficientis refertur. Cf. D'Annibale (*l. c. not. 9*).

270. Contingere potest quod dispensatio partim valeat et partim non valeat; si nempe duo petita fuissent, et causa quoad unum vera et quoad aliud falsa fuisset. Exemplum habes si quis petiisset dispensationem a voto adducens cum veritate periculum incontinentiae, simulque ab impedimento consanguinitatis falso adducens consobrinae (quam ducere vellet) paupertatem. Ille quidem uxorem ducere poterit sed non consobrinam. (D'Annib. *l. c. not. 10*).

271. Nihil prodest si bona fide falsitas intercesserit, nisi qui rescripsit falsitatem ipsam cognoverit et nihilominus gratiam (quam concedere potuerit) concesserit. Nihil prodest etiam si aliae causae iustisssimae adfuissent, sed expressae non fuissent. (D'Annibale *l. c. 118*).

272. *Quid si reticentia veri aut narratio falsi in re, quae caeteroquin nullo modo aut non ex toto rescriptum invalidum redderet, non ex simplicitate et ignorantia, sed ex vera fraude et malitia intervenisset?*

Supposita malitia, rescriptum semper evadere invalidum docent plures cum Vecchiotti (*1 § 52*) et De Angelis (*I.* III *4*), ex *C. XX Super litteris* (*De Rescript.*) dicente: « In suae perversitatis poenam nullum ex « illis litteris commodum consequantur; et ita videlicet quod delegatus « (postquam sibi super hoc facta fuerit fides) nullatenus de causa cognoscat ».

At vero Sanchez (*VIII.* XXI *74-78*) et D'Annibale (*I 216*) aliique censent, hanc legem locum habere solum post sententiam iudicis (quum agatur de poena), aut si rescripti executor fraudis commissae notitiam tempestive habuerit; prout reapse lex ipsa (uti patet) iam innuit expresse.

273. *Dispensatio* ***quandonam effectum habere incipit?***

I. Si sub conditione concessa fuerit, tunc antequam conditio verificetur effectum habere non posse, manifestum est. Idem dic si Superior dilationem aliquam statuerit.

II. Videndum an dispensatio in forma simpliciter *gratiosa*, aut *commissoria* concessa fuerit.

Est in forma simpliciter gratiosa, quando Pontifex per se ipsum ita gratiam concedit, ut alterius interventum pro executione non exigat; ut puta, si in rescripto dicatur: *Sanctitas sua benigne annuit pro petita facultate.*

Est in forma commissoria, quando Pontifex alteri, v. g. Episcopo, committit ut dispenset vel concedit ut dispensari possit.

Manifestum est autem quod dispensatio, si sit in forma commissoria, antequam delegatus illam concedat, effectum habere nequit.

Imo Episcopus valide dispensare non potest, nisi postquam rescriptum apostolicum ad illum pervenerit; non vero sufficeret notitia, quae a procuratore per litteras vel telegraphum ad illum pervenisset. S. Poenitentiaria *15 Ian. 1894.* (Apud *Monitore VII.* II. *31*).

III. Dispensatio potestne habere effectum antequam dispensatus eiusdem notitiam vel communicationem habuerit? Ordinarie negative: quia ut plurimum talis est intentio dispensantis. Si enim directa fuerit ad conscientiam dispensati, ut scilicet possit aliquid quietâ conscientiâ facere vel omittere, tunc manifeste patet quod intentio dispensantis foret ut dispensatio non valeat antequam dispensatus ipse illius notitiam haberet (Suarez *De Leg. VI.* XI. *8*). Si vero non ad hoc praecise, sed, v. g. ad tollendam inhabilitatem aut actus invaliditatem (v. g. irregularitatem, impedimentum matrimonii etc.) directa fuisset, utique tunc intentio Superioris esse posset ut dispensatio inscio quoque dispensato effectum habere valeat. Sed hoc melius declarabitur infra ubi de subiecto dispensationis (*n. 290*).

274. ***Quo tempore oportet ut causa vere subsistat?*** *An quando supplex libellus scribitur? An quando Princeps rescribit? An vero quando commissarius rescriptum executioni mandat?*

Quum tota ratio, cur causa debet esse vera, eo tendat ut dispensatio sine causa non concedatur, oportet et sufficit ut causa vera existat dum gratia conceditur.

Non itaque oportet ut sit vera quando supplex libellus scribitur; sed si concessio fuit in forma gratiosa, quando Princeps rescribit; si autem fiat in forma commissoria, quando commissarius dispensat, existere et vera esse debet.

Hinc si mulier, quae nondum excesserat 24 aetatis annum, petierit dispensationem matrimonialem *ob aetatem proiectam*, si dispensatio post illum expletum concessa fuerit, valet. E contra si illam petiisset ad prolem legitimandam, si dispensatio, prole mortua vel non adhuc concepta, data fuerit, non valet. D'Annibale (*I 217*), Berengo (*n. 130*) aliique passim.

275. *Dispensatio redditurne invalida si, postquam concessa fuerit, cesset causa adducta?* Hac de re vide infra, ubi de cessatione dispensationis.

276. *Quid* ***in dubio*** *an rescriptum subreptione vel obreptione laboret?* Tunc valida censenda est dispensatio si iam data fuerit; in dubio enim iura favent valori actus; unde effatum: « In dubio standum est pro valore actus ». Ita S. Lig. (*I 185. III 251. VI 1132*). D'Annibale (*I 218*) aliique.

ARTICULUS V.

De obligatione dispensandi.

277. *Subsistente causa dispensandi,* ***teneturne*** *Superior dispensationem concedere; an vero potest etiam illam denegare?*

I. In multis casibus dispensatio est vere debita et obligatoria sive *ex iustitia* (legali), sive ex charitate et misericordia.

Est debita ex iustitia. 1° Si *iure ipso* nedum permittatur sed praecipiatur. 2° Si praecipiatur *ab homine*; ut puta, si Pontifex Episcopo vel Confessario iniungat ut talem vel talem personam dispenset. 3° Si dari debeat *ex officio*, si nempe, abstinendo a dispensatione, malum publicum vel privatum adeo magnum secuturum esset, ut vulneri, quod (dispensando) legi infligitur, valde praevaleret. Equidem Princeps subditis suis providet per leges; sed ex una parte exceptiones (maxime omnes) in legibus indicari nequeunt, et ex alia saepe oportet ut subditis proprio consilio ab illis se eximendi libertas non relinquatur; unde

necesse est prorsus ut etiam per dispensationes et licentias Princeps ipse provideat.

Est autem dispensatio debita *ex charitate et misericordia* quando agitur de Superiore ecclesiastico, et dispensatione seclusa, gravia vel gravissima mala temporalia subditis imminerent. Suarez (*De Leg. VI.* XVIII 22).

278. II. Huiusmodi autem obligatio, sive propter ius acquisitum, sive ad obviandum periculo incontinentiae et damnationis aeternae, sive ad succurrendum aliis magnis necessitatibus speciatim publicis, utique sub gravi urgere potest.

Sic ratione publicae necessitatis contingere potest quod sub gravi dispensare oporteat, v. g. ab interstitiis (pro necessitate Ecclesiae); ab impedimentis matrimonii (v. g. ne sequantur concubinatus et matrimonia mere civilia); ab abstinentia a carnibus diebus vetitis tempore pestis etc.

279. III. Si autem adsit quidem causa, sed non in tali gradu ut necessitas dispensandi vere subsistat, unde rectus ordo sinat ut dispensatio concedatur vel non concedatur; tunc dispensatio ipsa licita quidem vel etiam expediens, sed non debita et obligatoria dici poterit; atque Superiori illam aliquibus concedere et aliquibus denegare integrum erit.

Hinc communiter dicitur quod dispensatio aliquando *gratia* et aliquando *debitum* est.

ARTICULUS VI.

De interpretatione dispensationis et facultatis dispensandi.

280. *Quandonam interpretatio locum habere potest?* Solum in dubio: si enim v. g. consuetudo sensum legis determinasset, tunc interpretatio locum habere nequiret.

281. *Quaenam hoc in puncto sunt* ***regulae principales?*** Sunt duae:

I. *Dispensatio* ordinarie (etsi non semper) interpretari debet *stricte*, quia censetur odiosa (propter vulnus quod legi infligit).

II. *Facultas dispensandi* ordinarie interpretari debet *late*, quia censetur favorabilis (propter favorem Superiori secundario concessum sine vulnere legis; Princeps enim

talem facultatem concedens nullam legem vulnerat, sed suae potestatis partem alteri communicat). S. Lig. (*I 187*) aliique communiter.

Hinc dispensatio ab irregularitate, ut quis beneficium obtinere possit, (in dubio) intelligitur de simplici : facultas autem concessa alicui dispensandi ab irregularitate quoad beneficium, (in dubio) intelligi potest etiam de curato. Sanchez (*De Matr. VIII.* II *8*).

282. ***Prima regula*** (*de dispensatione stricte interpretanda*) *habetne* ***exceptiones,*** *et quasnam?* Quum dispensatio interdum (ut modo innuebam) evadat favorabilis, haec regula sequentes habet exceptiones.

I. Si fuerit inserta in corpore iuris seu data ad modum legis; aut si generaliter, vel utcumque pro bono communi concessa fuerit.

II. Si concessa quidem fuerit personae particulari, et pro bono particulari, sed ita ut vel omnino debita, vel *motu proprio* Principis concessa fuerit. S. Lig. (*I 195*) Cf. supra dicta (*n. 65 Reg. III.* VII).

Regula itaque strictae interpretationis valet solum pro dispensationibus ordinariis, scilicet particularibus, pro bono particulari, non stricte debitis, atque ad instantiam concessis.

283. ***Regula secunda*** (*de potestate dispensandi late interpretanda*) *habetne* ***exceptiones?*** Unicam subit exceptionem; si nempe potestas dispensandi ad modum commissionis pro casu particulari data fuerit alicui sine intentione favorem ei concedendi; tunc enim huiusmodi potestatis concessio ad mandatum reducitur, quod ultra intentionem et voluntatem mandantis protendi nequit, nec dubium mandatarii quidquam supplere potest.

Potestas itaque dispensandi latam interpretationem subit 1° si sit ordinaria, vel delegata generaliter, pro bono publico; 2° si (etsi fuerit delegata pro casu particulari) in favorem et commodum delegati ipsius concessa fuerit, quod (ut aiunt Salmant. *XI.* V *53*) non praesumitur nisi probetur. Cf. Sanchez (*De Matr. VIII.* II).

284. *Potestas delegata dispensandi, si modo generali concessa fuerit, extenditurne etiam ad ea quae sunt iuris naturalis et divini, si Superior delegans in iis quoque dispensandi ordinariam potestatem habeat?*

Affirmative respondet Sanchez (*l. c. 5*), dummodo non agatur de iis, quae specialiter reservari solent, aut in

quibus nemo praeter Summum Pontificem unquam dispensavit.

Hinc in generali potestate facultas quidem dispensandi a iuramentis et votis non reservatis, non vero a votis solemnibus aut reservatis vel a matrimonia rato, includitur.

ARTICULUS VII.

De subiecto dispensationis.

285. *Quaenam est* ***regula suprema*** *ad decernendum quisnam esse possit subiectus dispensationis?*

Videndum an quis dispenset in lege propria, an vero in lege aliena.

In lege propria subiectus esse potest quicumque ea lege ligatur, sive subditus sive etiam non subditus (nempe peregrinus, vagus et exemptus in quibusdam casibus: vide supra *n. 65*).

In lege aliena oportet insuper ut legislator (aut eiusdem delegatus subdelegare valens), sive expresse delegando sive utcumque annuendo, contentus sit ut alter sua lege ligato dispensationem concedat. Sic Episcopi (et in quibusdam etiam parochi) proprios subditos interdum a votis et iuramentis, nec non a legibus Pontificiis, voluntate Dei et Pontificis dispensare possunt facultate quasi ordinaria et subdelegabili (ut supra vidimus).

286. ***Incolae, vagi et peregrini*** *possuntne obtinere dispensationes a Superioribus loci ubi degunt?*

Certe ab iisdem dispensari nequeunt a legibus propriae patriae, et possunt a legibus loci ubi degunt (quatenus iisdem afficiantur).

Dubium itaque restringitur ad vota et iuramenta, atque ad leges communes Ecclesiae, v. g. quoad iuiunium, abstinentiam a carnibus et operibus servilibus, irregularitates occultas etc. Quid itaque dicendum? Episcopi certe dispensationem concedere valent incolis, illis scilicet qui in loco quasi domicilium habent; et proinde subditis aequiparantur. Intellige solum pro quanto subditos dispensare possent. Proportionaliter idem dic de parochis. Ita communissime. Cf. Acta (*II 671 ad 4*).

Vagis etiam (qui nullibi domicilium habent), quando in eorum territorio morantur, dispensationem (ut supra) concedere possunt; secus enim illi a nemine dispensari valerent; quod supponi nequit. Scavini (*I 235*).

Sed quid de *peregrinis?* Doctrina communis est quod peregrini (quum nullatenus sint subditi) solum a propriis Superioribus dispensari possint. Illi quidem (aiunt) absolvuntur a peccatis etiam extra dioecesim ex tacito consensu propriorum Episcoporum (ut patet ex consuetudine), quia bonum Ecclesiae id exigit; sed haec ratio (dicunt) quoad dispensationes non viget .

Attamen plures contra sentiunt. Gury (*I. 115 q. 3*), D'Annib. (*I 72 et 209*), Lehmkuhl (*I 164*) etc. docent, Episcopum peregrinos quoque, (intervenientibus causis necessitatis vel utilitatis) dispensare posse; idque quoad votum (urgente necessitate) admisit etiam Suarez *De. Rel. VI.* VI. XI. *11* (saltem donec peregrinus nequeat ad Episcopum suum recurrere); et S. Lig. (*III 262. I 158*), etsi sententiae contrariae subscribat, tamen opinionem istam fassus est censeri merito probabilem, ita ut scilicet Episcopi, quoad vota, iuramenta, et communes Ecclesiae leges, per quantum possent dispensare subditos, peregrinos quoque probabiliter dispensare valeant.

Ego censeo rem hanc pendere a praesumpto consensu proprii Superioris. Si, attentis circumstantiis (v. g. si peregrinus esset valde distans a suo Superiore, vel si ageretur de rebus occultis aut minutioribus) praesumi debeat peregrini Superiorem consentire ut ab alio dispensetur; tunc (maxime quia opinio benigna, tacente Ecclesia, a tot probatis auctoribus probabilis censetur) dispensatio valebit, iuxta doctrinam communiter admissam de sufficientia iurisdictionis probabilis, qua stante supplet Ecclesia. Si autem dictus consensus (ex oppositis circumstantiis) praesumi non posset, tunc peregrinus ad proprium Superiorem pro dispensatione remitti deberet.

Caeterum in praxi 1° iuvat reminisci quod Regulares (in quibusdam casibus iuxta dicta *n. 237*) auctoritate apostolica dispensare possunt eos etiam qui ex alienis dioecesibus ad illos recurrunt; 2° bene erit si confessarii

Sacrae Poenitentiariae facultatibus, (vi quarum a votis non reservatis auctoritate apostolica dispensare poterunt) se muniant.

287. *Potestne Episcopus dispensare cum Regularibus* ***exemptis?***

I. Potest certe si Pontifex expresse in aliquo casu id Episcopo concesserit ; aut si aliqui Regulares etiam habitualiter privilegium haberent recipiendi dispensationes etiam ab Episcopo loci.

II. Potest ex praesumpto consensu Ecclesiae 1° Si Regularis ad proprios Superiores (qui dispensationem concessuri essent) recurrere nequiret. 2° Si Regularis repulsam *evidenter* iniustam a Superiore proprio habuisset. Cf. Mazzotta (*I.* IV *q. 1 C. 3 q. 4*) et Lehmkuhl (*I n. 165*).

Ratio est quia finis exemptionis eo solummodo tendit ne Episcopi, sive praecipiendo sive dispensando, regularem disciplinam turbent; non vero ut Regulares ex propriis privilegiis et exemptionibus detrimentum subeant, et in peiori conditione aliorum fidelium constituantur.

288. *Potestne Episcopus dispensare* ***subditos suos etiam si extra Dioecesim versentur?*** Privatim affirmative. Cf. D'Annibale (*I 71*) et Mazzotta (*l. c. q. 5°*). Non enim ageretur de exercitio iurisdictionis contentiosae vel solemnis. Idem dic si Episcopus ipse extra Dioecesim esset. Hoc tamen intellige si dispenset auctoritate ordinaria aut quasi-ordinaria. Si enim ageretur de dispensandis subditis auctoritate specialiter delegata, tenor concessionis considerari deberet. Tabella S. Poenitentiariae (quoad Episcopos) dicit: « Pro grege vobis commisso et « intra fines Dioecesis tantum ».

289. *Quid si subditi, obtenta dispensatione,* ***extra dioecesim migrarent ?*** Si dispensatio sit *localis* (prout quando Episcopus dispensat subditos omnes in sua Dioecesi vel in designata Dioecesis parte) tunc pro extra morantibus non valebit. Secus si sit *personalis*. Localis enim restringitur ad locum; personalis autem sequitur personam.

290. *Potestne* ***inscius,*** *vel* ***etiam invitus,*** *esse subiectus dispensationis ?*

Quod dispensatio possit impetrari, atque a Superiore concedi, etiam pro inscio vel invito, dubitari nequit; imo Superior obligare potest subditum reluctantem, ut (v. g. breviarium non recitando, carnes diebus vetitis manducando, sacros ordines sine interstitiis suscipiendo etc.) dispensatione utatur. Ordinarie tamen intentio Superioris non erit ut dispensatio valeat, nisi subiectus de illa certior

evaserit illamque acceptaverit, ita ut proinde dispensatio pro inscio petita detur sub conditione *si sit placita et grata.*

Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* III *339*), qui notat praxim esse S. Poenitentiariae non concedendi dispensationes pro inscio, nisi petatur ab eiusdem confessario vel ab eiusdem coniunctis intra quartum gradum; atque insuper dispensationem sic obtentam (v. g. ad revalidandum matrimonium) effectum non habere, nisi a subiecto (nisi scilicet saltem ab uno coniuge) acceptetur.

291. *Quid de scienter* ***petente*** *dispensationem* ***sine causa?***

Peccat, quia provocat Superiorem ad peccandum (Ballerini *Op. th. l. c. 273*); idque verum esset quamvis Superior bona fide materialiter tantummodo peccaret.

Si tamen dispensatio, sine causa concessa, valida esset (iuxta dicta *n. 248*), subditus peccasset quidem illam petendo; sed, illa utendo, contra legem non peccaret. Dixi *contra legem;* peccare enim posset si ex usu dispensationis damnum proprium aut alienum (v. g. scandalum) obventurum esset. Ballerini (*l. c. 275*).

292. *Quid si subiectus* ***esset dubius de valore dispensationis*** *sive obtinendae sive iam obtentae? Peccaretne illam petendo, aut illa utendo?*

Quoad *petitionem*, si subiectus bona fide procedat et causam (sicut sincere credit) exponat, certe non peccat dispensationem petendo et Superioris iudicio se remittendo. Peccaret autem si in petitione mendacium aut fallaciam aliquam immisceret.

Quoad *usum dispensationis* responsio patet ex supradictis (*n. 251 et 276*); praesumendum est scilicet pro Superiore et pro valore actus; hoc enim ad turbationes et conscientiae angustias evitandas, nec non ad rectam gubernationem nimis necessarium est. S. Lig. (*III 251*). Imo id verum esse crederem quamvis constaret Superiorem identidem suae potestatis limites excedere.

293. *Potestne adesse* ***obligatio petendi dispensationem?*** Affirmative; si nempe ex una parte casus indigeat dispensatione, et ex alia quis, velit ponere opus lege interdictum; et multo magis si quis ex aliqua necessitate sibi vel aliis consulendi, dispensationem petere deberet.

294. *Quid* ***in dubio*** *an casus indigeat dispensatione?*

Distinguendum inter dubium iuris et dubium facti.

In dubio *iuris*, si nempe probabiliter (et non contra multo maiorem probabilitatem) iudicandum sit quod casus in lege non comprehendatur et proinde obligatio non subsistat; tunc (propter doctrinam iam practice securam S. Alphonsi) nulla dispensatio necessaria erit. Idem dic quamvis ageretur de valore actus (v. g. matrimonii), et casus esset de illis, in quibus (stante opinionum probabilitate) suppleat Ecclesia.

In dubio autem *facti* (ut puta, si quis de consanguinitate vel affinitate dubitaret), vel in illis dubiis iuris, quae ad probabilitatem dicti generis non pertingerent, dispensatio *ad cautelam* necessaria esset.

295. *Dixisti dispensationem esse petendam si quis, ex aliqua necessitate sibi vel aliis consulendi, illam petere deberet. Quandonam verificatur casus iste? Et nonne tunc lex iam ex seipsa corruit?*

Necessitas consulendi sibi ipsi ope dispensationis contingeret, v. g. si quis propter votum castitatis in nimio periculo incontinentiae et damnationis aeternae versaretur. Necessitas autem illam obtinendi respectu aliorum, contingeret, v. g. in Episcopis aliisque qui ex officio deberent subditis suis aliqua dispensatione Pontificia consulere. Item si quis ad prolem legitimandam, aut aliquod magnum scandalum vel damnum aliorum avertendum, dispensatione aliqua indigeret. Denique si quis ad illam petendam se obligasset.

Neque semper verum est quod, supervenientibus causis gravibus aut gravissimis, lex ita epicheiam subeat ut iam per se cesset. Saepe enim nihilominus dispensationis petitio necessaria est, etsi tunc Superior ut plurimum dispensare nedum possit, sed (ut supra declaravi) praecise teneatur. Ratio autem necessitatis petendi tunc quoque dispensationem multiplex esse potest; scilicet sive quia ex una parte casus sit rarus (vel non adeo frequens), et ex alia vel nimium hallucinationis periculum subsistat, vel agatur de valore actus, vel rei gestae memoria in publicis regestis inscribi debeat; sive quia utcumque non expediat ut arbitrio personarum particularium decisio relinquatur.

296. *Quid* ***si casus urgeret,*** *et dispensatio peti nequiret?*

Iam dixi quod in casus urgentia potestas dispensandi ad Superiorem subordinatum (Cf. *n. 231.* I. *et 242*) ut plurimum devolvitur.

At vero si ne ad illum quidem recurri valeret; tunc videndum an urgentia talis ac tanta esse omnino videatur, ut dispensatione interpretativa uti liceat, interpretando scilicet voluntatem Superioris et credendo non solum quod dispensaturus esset, sed etiam quod illius interpretativa voluntas sit ut in illo casu (stante impossibilitate petendi dispensationem) sine petitione dispensationis ad actum procedi possit; quod certe contingeret si dispensatio *respiceret solum licitum,* et ex iustitia vel ex misericordia debita esset. Ita docet Suarez (*De leg. VI.* XXIII *33*).

297. *Quid si dispensatio* ***debita*** *visa fuisset, et nihilominus Superior* ***illam denegasset?***

Dispensatio denegata nihil valet; ut enim dicit Suarez (*l. c.*) non sufficit ut fuerit petita, sed exigitur ut fuerit obtenta.

Attamen in hypothesi quod vere debita fuisset ex misericordia et maxime ex iustitia; si denegatio a Superiore subordinato provenisset, recurri posset ad Superiorem altiorem.

Si vero hic recursus esset impossibilis, vel denegatio ab ipso Superiore supremo provenisset, tunc pro legis observantia standum esset.

Unica exceptio esset si iam *certo constaret, legem tunc iniustam evasisse.* Scripsit Suarez (*l. c.*): « Si sit Princeps supremus qui denegat « dispensationem quae iudicatur debita, standum est iudicio seu voluntati « eius, nisi nocumentum tam grave immineat, ut non possit lex humana « obligare cum tanto discrimine, quia extra hanc necessitatem lex non « relaxata per dispensationem semper obligat ». Et S. Lig. (*I 179*) subdit: « Denegata tamen (etiam iniuste) dispensatione, nequit subditus agere « contra legem, nisi talis causa urgeat, ut eum extrahat a lege ».

298. *Potestne* ***ipse dispensator esse subiectus dispensationis,*** *ita scilicet ut qui potest dispensare alios, semetipsum quoque dispensare valeat?*

Loquendo imprimis *de dispensatione in lege Superioris altioris*, scilicet in votis aut iuramentis, aut (si agatur de Superioribus subordinatis) in legibus pontificiis, sequenti modo res se habent.

I. Conveniunt theologi quod qui potest dispensare alios directe, potest dispensare se ipsum indirecte, scilicet 1° dispensando (si casus ita ferat)

universam communitatem, ad quam ipse quoque (ut caput) pertinet; 2° dando (si iam de iure id quoque posset) alicui subdito (v. g. proprio confessario) facultatem dispensandi, ab eoque dispensationem petendo.

Patet ex praesumpto consensu Superioris altioris; secus enim Superior subordinatus, qui recepit facultatem dispensandi alios, in peiori conditione subditorum suorum versaretur. Sanchez (*De Matr. VIII.* III *23*).

II. Conveniunt pariter quod, si ageretur de simplici licentia (prout usuvenit in Regularibus, qui nequeunt e monasterio egredi aut pergere ad concionandum, sine licentia Superioris subordinati, v. g. guardiani vel prioris vel provincialis); tunc ipse Superior subordinatus licentiam sibi ipsi concedere potest. Ratio est ut supra; et patet etiam ex consuetudine. Sanchez (*l. c. I*).

III. Si autem ageretur de veri nominis dispensatione directa, praetermitto quaestionem (minime practicam) de Romano Pontifice, de quo plurimi (contra aliquos) docent quod (intellige semper ex iusta causa) possit directe et immediate dispensare seipsum etiam in votis et iuramentis. Restringendo itaque sermonem ad Episcopos, Praelatos regulares, parochos aliosque habentes facultatem quasi-ordinariam vel delegatam dispensandi in legibus Superioris altioris; distinguere oportet inter facultatem dispensandi restrictam ad quasdam personas, et facultatem dispensandi modo generali concessam. In primo casu certe non est cur loquamur de facultate dispensandi seipsos, sicut nec alios ultra personas designatas. In secundo autem, decisio pendere deberet ab intentione praesumpta Superioris altioris, qui non iam pro persona aliqua particulari, sed indeterminatim, facultatem hos vel illos dispensandi concessit. Equidem sensus huius facultatis esse videretur ut Episcopus posset dispensare illos, qui in posterum ad eum recurrere poterunt, non vero seipsum; quod ex una parte esset periculosum (nemo enim iudex in causa propria), et ex alia non esset necessarium, quum posset vel suo confessario facultatem sibi dispensationem concedendi (si ei bene videbitur) subdelegare, vel ad ipsum superiorem altiorem recurrere; idque maxime quia ageretur de casibus rarissimis. Atque ita sentiunt reapse theologi plures (Cf. Sanchez *l. c. 4. 5*).

Nihilominus alii docent quod Episcopi aliique inferiores possunt, etiam immediate et directe, dispensare semetipsos, quia secus (ut aiunt) in peiori conditione subditorum suorum versarentur.

Equidem haec ratio (maxime si possent suum proprium confessarium ad dispensandum subdelegare) prorsus inanis esse videretur. Attamen theologi plurimi, etiam primi subsellii (inter quos Sanchez, Laymann etc.), doctrinam istam tenent et ipse S. Ligorius rotunde scripsit (*I n. 183*): « Habens facultatem generalem dispensandi potest etiam secum dispensare « directe et immediate... Hinc bene sibi dispensare potest in votis, iura« mentis, ieiunio etc. ». Quae cum ita sint, doctrina ista magna probabilitate extrinseca certe fulcitur, et hodie vere communis est. Et ex hoc Ballerini (*Op. th. I.* III *325*) sic concludit: « Cumque communis sit haec « doctrina, eo ipso licet ea uti in praxi, quia in materia iurisdictionis, « probabilis tantum sententia certam parit iurisdictionem ».

299. Hucusque dicta respiciunt dispensationem sui ipsius in lege Superioris altioris; *sed quid si ageretur de lege propria?* Recolendum quod legislator ad legem propriam servandam non vi legis ipsius praecise, sed vi legis naturalis (quatenus non convenit ut caput a membris discrepet, et Superior bonum exemplum dare debet) teneri potest. Hinc ex iusta quidem causa legislator se ipsum a lege sua dispensare poterit; non autem eâ seclusâ; propter commixtionem enim legis naturalis (atque adeo Superioris altioris), dispensatio sine causa invalida esse posset. Laymann (*I.* IV. XXII *31*).

ARTICULUS VIII.

De dispensationis cessatione

300. *Dispensatio cessatne* ***morte legislatoris,*** *qui illam concessit?* Negative; agitur enim de gratia facta.

Excipe nisi (in dispensatione habente tractum successivum) dispensans dixisset: *Donec vixero;* imo cessare potest etiam si dixisset: *Ad beneplacitum nostrum*, aut *Donec mihi placuerit*, aut *Ad meum arbitrium.*

301. *Cessatne si postea accidat aliquid quod usum dispensationis illicitum reddat, vel quod debuisset exprimi si petitionem antecessisset?*

Negative. Casus esset si quis, obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam, postea emitteret votum castitatis, illoque non obstante illam duceret.

Utique tunc peccaret contra votum, sed matrimonium esset validum (quamvis illicitum propter superventum impedimentum impediens voti simplicis), illoque utendo neque fornicationem neque incestum committeret. Aphorismus dicit: Factum tenet, etsi postea eveniat aliquid a quo non potuisset incohari.

302. ***Quot modis*** *igitur cessare posset dispensatio?* 1° Eveniente termino, aut verificata conditione resolutiva. 2° Cessante causa. 3° Revocatione dispensationis. 4° Renuntiatione dispensati.

De primo modo nihil addere oportet; sed alii modi sunt explicandi.

303. *Quid de cessatione dispensationis,* ***cessante causa?***

I. Cessante causa, dispensatio non cessat 1° Si causa cessasset solum in parte atque ita ut, quod remanet adhuc, ad dispensandum sufficeret; ut puta, si obtenta dispensatione ab impedimento matrimonii ex causa legitimandae prolis, simulque scandali vel damni reparandi, proles quidem ante matrimonium mortua fuisset, sed scandalum et damnum reparandum adhuc subsisteret. Scavini (*I n. 250 not. 1*). 2° Si non certe constaret quod causa ita cessaverit ut quod de illa remanet non amplius sufficiat, dum adhuc sufficere posset. S. Lig. (*I 196*). 3° Si dispensatio

ad actum irrevocabilem (v. g. ordinem sacrum vel matrimonium) iam de facto deducta fuisset.

II. Sed quid si ex una parte causae adductae cessassent omnino, et ex alia usus dispensationis adhuc non interfuisset (matrimonio, v. g. non adhuc contracto), vel talis usus tractum successivum haberet (prout v. g. in ieiunio quadragesimali, in recitatione breviarii etc. contingeret)?

Hoc in puncto magna controversia agitatur apud auctores. Vide Sanchez (*De matrim. VII.* xxx *13*), Suarez (*De leg. VI.* xx *15*), Ballerini (*Op. th. Vol. I Tr.* III *n. 360*). Mea autem opinio esset sequens.

Notandum 1° quod, etsi cessaverint causae adductae, subsistere vel supervenire possunt aliae, ob quas expediat vel oporteat ut dispensatio in suo robore servetur.

Patet autem ex praxi quod hoc intervenire solet quando agitur de illis dispensationibus quae actum indivisibilem proxime secuturum respiciunt (v. g. celebrationem matrimonii, susceptionem ordinis sacri, receptionem beneficii etc). Causae huiusmodi sunt, v. g. malae consequentiae quae oriturae essent si, omnibus iam paratis, omnia abrumpi deberent; adde expensas iam toleratas pro rescripti assecutione, pro bullis etc.; unde in his casibus, scilicet in dispensationibus impedimentorum matrimonii, irregularitatum, vel pro obtinendis beneficiis, consuetudo (optima interpres) esse videretur, ut, non obstante causarum adductarum cessatione etiam totali, dispensatio perduret.

Notandum 2° quod S. Sedes, quando intendit ut dispensatio duret solum perdurante causa, id exprimere atque conditionem adiicere solet, prout accidit in dispensationibus circa ea quae tractum successivum habent, v. g. abstinentiam a carnibus, recitationem breviarii etc. Solet etiam exprimere quando vult ut dispensatio pro voto castitatis (speciatim propter motiva diversa a periculo incontinentiae) ad primum matrimonium restringatur. Et certe qui obtinuisset dispensationem a voto ad ducendam virginem a se defloratam, aliam ducere nequiret. S. Lig. (*I 196*).

Notandum 3° quod si casus accideret in dispensatione petita pro matrimonio, eiusdem validitas periculo exposita

remaneret, nisi Ecclesia suppleret, prout in omnibus casibus iurisdictionis probabilis revera supplet.

304. Quae cum ita sint, iam circa dispensationes obtentas inconditionaliter a S. Sede per consueta rescripta nullum (meo sensu) dubium superest; et dici debet dispensationem non cessare cessante causa nisi quando conditio ista in eodem rescripto apponitur; obligatio enim legis semel ablata reviviscere nequit nisi legislator id decernat.

305. Dubium remanere potest circa dispensationes concessas sive a Pontifice vivae vocis oraculo, sive ab Episcopo vel alio Superiore, quin de circumstantia cessationis causae aliquid dictum fuerit. At vero existimo tunc quoque, duas regulas similes praedictis esse servandas. Prima est quod dispensatio pro re tractum successivum habente corruit, si causa sufficiens iam certe cessasset totaliter; perseverantia enim dispensationis tunc redderetur irrationabilis et illicita, quod a mente Superioris alienum esse praesumendum est. Altera quod dispensatio pro actu indivisibili proxime secuturo non corruit, etsi causae adductae certe cessassent; quia mens Superioris esse censetur ut dispensatio ista valeat quantum licite et convenienter praetendi possit ut valeat; quod utique verificaretur, propter incommoda quae secus ordinarie secutura essent.

306. *Quid de cessatione dispensationis* ***per revocationem*** *dispensantis?*

I. Supponendo quod non iam dispensatio ad actum irrevocabilem deducta fuerit, sed vel solum concessa fuerit facultas dispensandi; vel dispensatio fulminata quidem, sed non adhuc ad actum deducta fuerit; vel denique (etsi ad actum deducta) respiciat rem quae tractum successivum habeat; utique tunc revocatio locum habere potest; sed aliter et aliter; distinguendum est enim secundum quod dispensatio in lege propriae iurisdictioni subiecta vel in lege Superioris altioris concessa fuisset.

II. Si dispensatio concessa fuisset in lege propria vel inferioris, tunc revocari potest, licite ex causa rationabili, et valide semper (S. Lig. *I 197*); quando enim subditus non est per se et necessario excusatus, in potestate Prin-

cipis est illum (qui prius a vinculo legis solutus fuit) iterum legi subiicere seu legem ipsam in statum pristinum restituere, ut sicut alios illum quoque obliget. Ad summum Princeps teneri posset ad restituendum id quod subditus pro taxa solvisset. Sanchez (*De Matr. VIII.* XXIII *13*).

An autem dispensationis revocatio sine causa rationabili leve vel grave peccatum constituat, pendet a circumstantiis, v. g. scandali, damni etc.; et maxime si in dedecus Superioris subordinati dispensationes ab eo concessae, sine causa rescinderentur. Salmant. (*De leg. 97-98*).

III. Si dispensatio concessa fuisset ab inferiore in lege Superiori saltioris (ut puta, si Episcopus legitime dispensasset in lege pontificia); tunc revocatio dispensationis ab eodem inferiore *irrationabiliter facta*, certe nedum illicita sed etiam invalida esset.

Supposita autem iusta causa dispensationem revocandi, nonnulli quidem tunc etiam stant pro invaliditate, non enim (aiunt) in facultate dispensandi facultas etiam dispensationem revocandi (et sic lege aliena subditum iterum ligandi) includitur. Sed omnino dicendum est, revocationem validam et licitam esse. Ita docent Suarez (*De leg. VIII.* XXXVI *15*), Sanchez (*De matr. VIII.* XXXIII *12*) Salmant. (*De leg. n, 99),* S. Lig. (*I 197*) etc.; et ratio est quia utraque facultas ad rectum regimen necessaria est. Sumus autem in materia iurisdictionis et probabilitas iurisdictionem supplet.

Casus autem esset, v. g. si Episcopus ab irregularitate aliquem dispensasset, et postea certior evadens de malis moribus illius, dispensationem revocaret.

S. Lig. (*l. c.*) censet id esse verum non solum si iure quasi-ordinario, sed etiam si ex speciali commissione inferior dispensasset. Sed commissarius huiusmodi si non Episcopus sed parochus vel simplex confessarius esset, valde alienum a mente Pontificis esse videretur, quod tunc in facultate dispensandi facultas etiam dispensationem revocandi (quae valde imprudenter exerceri posset) inclusa credi deberet. Sanchez (*VIII.* XXXII *4*).

307. *An possit adesse obligatio dispensationem revocandi?* Affirmative; scilicet 1° Si absque iusta causa concessa fuisset. 2° Si postea aliquid momentosum interveniret; unde pro bono publico (vel etiam privato dumtaxat) oporteret ut dispensatio revocaretur. S. Lig. (*I 199*).

308. *An revocatio dispensationis possit esse implicita?* Affirmative; ut puta, si Princeps iuberet fieri id cuius obligationem per dispensationem

prius abstulisset; vel etiam si Pontifex, concessa dispensatione, v. g. ut quis Caiam consanguineam ducere posset, memor huius dispensationis eidem (matrimonio non secuto) concederet ut aliam consanguineam (Caia vivente) ducere valeret; non enim credendum esset quod optionem ducendi alterutram pro suo libitu ei reliquisset. Suarez (*De leg. VI.* xx *9*) et Sanchez (*De Matr. VIII.* xxii *19*).

309. *Quid de cessatione dispensationis per* ***renuntiationem*** *dispensati?*

I. Renuntiatio dispensationis potest esse expressa et tacita. *Tacita* interveniret si dispensatus non equidem verbis sed indiciis manifestis renuntiationem suam ostenderet, ut puta, si, obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam, illam non duceret, sed ordines sacros susciperet vel professionem religiosam emitteret. Ex solo non-usu dispensationis, vel ex petitione novae dispensationis (ob dubium de valore primae, vel ad obtinendam gratiam magis amplam) non ita facile renuntiatio iudicabitur; bene vero iudicabitur facilius ex actibus contrariis, cuiusmodi sunt supradicti, et essent quoque, v. g. si quis, obtenta dispensatione ad ducendam talem vel talem mulierem, illâ non ductâ, peteret dispensationem ad ducendam aliam, aut (cum vel sine dispensatione) revera duceret aliam, aut votum castitatis emitteret, aut rescriptum (quod conservare deberet) statim laceraret etc.

II. Renunciatio non sufficit, nisi *a Superiore fuerit acceptata,* ut patet ex supra dictis (*n. 199*); unde ante talem acceptationem bene poterit quis renuntiationis suae poenitere, atque iterum dispensatione obtenta uti: neque (secus ac in privilegio *n. 199. 201*) renuntiatio unquam acceptari censetur ipso iure, aut praescriptioni (etsi decennium vel tempus diuturnius decurreret) locus daretur. (Salmant. *VI.* v *n. 62*).

Hinc dispensatus ad ducendam consanguineam, si, eâ non ductâ, aliam duxisset, istâ mortuâ, consanguineam illam ducere poterit; impedimentum enim iam ablatum non nisi voluntate Pontificis iterum exurgere potest. Item dispensatus ab aliquo impedimento matrimoniali, si postea matrimonio non contracto votum castitatis emisisset, posset matrimonium illud contrahere valide, imo (obtinendo dispensationem a voto) etiam licite; votum enim impedimentum iam ablatum non restitueret. Cf. Suarez (*De leg. VI.* xx *8-11*).

III. Si dispensatio in forma commissoria concessa fuisset, tunc eiusdem renuntiatio non ab executore sed a

delegante acceptari deberet. Sanchez (*De matr. VIII.* XXXII *n. 11*).

IV. Unicus datur casus, in quo non exigitur ut Superior renuntiationem acceptet; si nempe dispensatio obtenta fuisset a voto, et dispensatus votum renovaret. Sanchez (*l. c. n. 3*).

CAPUT XVI.

DE LEGIS CESSATIONE.

310. *Potestne* ***quaelibet lex*** *cessationi subiici?* Facto hominis vel hominum cessare nequeunt leges divinae, sive naturales sive positivae. Hoc ad solum Deum pertinere potest, qui reapse leges caeremoniales veteris testamenti abrogavit.

311. *Cessatio legis humanae* ***distinguiturne*** *ab eiusdem epicheia, dispensatione et suspensione?*

Utique, quia cessatio est totalis, generalis, et perpetua; epicheia autem ad casus particulares, qui ex benigna et aequa legis positivae interpretatione excipi censentur, et iam inde ab initio in lege subintelligebatur. Dispensatio est vel ipsa quoque particularis vel temporanea, et provenit ex concessione speciali Principis. Suspensio denique est generalis quidem sed temporanea, eo quod ad tempus ob aliquam causam (sine necessitate dispensationis) lex suspensa remanere debeat.

312. ***Quotupliciter*** *lex cessare potest?* Imprimis ab intrinseco et ab extrinseco.

313. *Quomodo cessat* ***ab intrinseco?***

I. Si accipi deberet tamquam dispositio transitoria ex ipsa intentione legislatoris attentis eius verbis, vel attenta causa finali, qua cessante totaliter, utique dispositionem ipsam cessare credendum esset. Hinc edictum non egrediendi ab urbe tempore belli, solvendi tributum ad pontem aedificandum etc., finito bello, aedificato ponte, per se cessaret. Dixi *causa cessante totaliter*; ieiunium enim, v. g. quod ad belli simulque terraemotus finem obtinendum indi-

ctum fuisset, bello cessante, minime cessaret si terraemotus adhuc perduraret.

II. Si lex (propter circumstantiarum mutationem) ex iusta evasisset iniusta, ita ut vel ei obtemperare iam amplius non liceret; vel effecta fuisset sive nimis dura et moraliter impossibilis sive inutilis (intellige respectu totius aut quasi totius communitatis ut notat Suarez *V.* IX *5*) (1).

314. *Quot modis lex cessare potest* ***ab extrinseco?***

Cessare potest 1° voluntate expressa lagislatoris. 2° per consuetudinem contrariam.

Haec autem cessatio potest esse totalis ita ut tota lex destruatur, et tunc dicitur *abrogatio* (vel revocatio vel abolitio); et potest esse partialis, ita ut solum in parte lex destruatur; et tunc *derogatio* appellatur. Intervenire potest etiam legis *irritatio*, sed haec distinctio parum

---

(1) Quaestionem, quae ad Caput de causis excusantibus vel eximentibus (*n. 195 et sqq.*) potius spectaret, theologi hic instituunt, et quaerunt *an, cessante fine legis non generaliter sed solum relate ad personas particulares, pro his cesset legis obligatio?*

Conveniunt omnes, pro illis quoque obligationem cessare, si finis legis cesset *contrarie*, ita scilicet ut (durante iustitia legis quoad alios) pro iis iniusta vel nimis dura evaderet. Si vero pro iis finis legis cesset solum *privative* seu *negative*, si nempe pro iisdem lex solum inutilis evasisset; tunc nihilominus legis vinculo subiecti remanerent.

Ego autem sic responderem: Equidem lex nunquam ad peccatum obligare potest. Item ad grave atque extraordinarium incommodum leges ordinarie non obligant (iuxta dicta *n. 149*). An autem, ratione solius inutilitatis pro individuo, obligatio cesset, negandum est ordinarie. In lege condenda adest quidem semper finis principalis (v. g. in prohibitione librorum periculum spirituale legentium; in lege de publicationibus matrimoniorum, periculum ne matrimonia cum aliquo impedimento, aut parentibus iuste dissentientibus, contrahantur). Equidem fines huiusmodi principales plus vel minus in personis particularibus deficere solent; sed ordinarie hoc non sufficit ut ipsae a legis obligatione liberae evadant. Ut plurimum enim alia motiva secundaria (v. g. necessitas uniformitatis, periculum hallucinationis, vel scandali, vel ne lex suo robore enervetur etc.) efficiunt ut obligatio ad eos quoque extendatur ad quos motivum principale nullatenus extenderetur. Exemplum habes in praedictis legibus prohibitionis librorum, publicationum matrimonii etc.; unde practice bona est regula theologorum statuentium quod, cessante legis fine (principali) *privative* dumtaxat in personis particularibus, obligatio in iisdem minime cessat. Si tamen daretur casus, in quo nec finis principalis nec fines secundarii ad illos extendi possent, utique tunc obligatio, utpote prorsus inutilis atque irrationabilis, subsistere nequiret; sed verae exceptioni vel epicheiae iam inde ab initio in sensu legis extanti locus daretur. Cf. Sanchez (*De matr. II.* XXXVII *3*).

deservit; contingit siquidem irritatio (sive totalis sive partialis) quando legislator ordinis superioris (v. g. Pontifex), legem latam a legislatore ordinis inferioris (v. g. principis saecularis, vel Episcopi) sive totaliter sive partialiter annullat.

315. ***Abrogatio*** *legis estne semper licita et valida?*

I. Ut sit licita, semper exigitur causa sufficiens, ita tamen ut non sit necessarium quod lex ita noxia vel inutilis evasisset ut iam per se et ab intrinseco cessasset; sed sufficit, si, subsistente adhuc illius utilitate, eiusdem abrogatio magis utilis censeatur. Ita Suarez (*De Leg. VI.* xxvi *6. 8*); qui tamen notat valde caute procedendum esse antequam lex aliqua (speciatim a brevi tempore lata) abrogetur.

II. *Valida* tamen esset abrogatio, quamvis sine causa sufficienti a legislatore (non vero si a delegato contra interpretativam sui Principis voluntatem) perageretur; utcumque enim subditi liberi remanerent atque inobedientes non amplius essent. Suarez (*l. c. 10*).

316. *Quot modis contingere potest abrogatio vel derogatio* ***voluntate expressa legislatoris?***

Primus modus est si Princeps explicite nominet legem praecedentem, illamque abrogationi vel derogationi directe subiiciat.

Secundus est si condat novam legem generalem priori (pariter generali) contrariam, et cum illa incompatibilem; tunc enim, quum praesumatur quod illam cognoscat (Princeps enim dicitur habere omnes leges in scrinio pectoris sui), facto ipso illam abrogat; nec oportet ut illam nominet et clausulas abrogatorias vel derogatorias adiiciat. Oportet tamen ut secunda lex cum prima componi omnino nequeat; unde exigitur ut ambae sint generales (ut dixi) atque oppositae; si enim una generalis et alia particularis esset; tunc illa tamquam regula et ista tamquam exceptio intelligi deberet. Hoc autem verum est tum quando lex particularis respicit aliquam circumstantiam, de qua lex generalis nihil dicat (unde v. g. leges generales circa testamenta non derogant aliis quae de testamentis privilegiatis loquuntur; Reiff. *I.* II. *496*): tum quando lex

particularis respicit aliquem locum; unde lex generalis statuta particularia locorum, vel leges pro iisdem conditas, vel locorum ipsorum consuetudines, minime abrogat. Ad illas tamen abrogandas sufficerent clausulae abrogatoriae generales, dicendo, v. g. *non obstantibus constitutionibus particularium locorum*, vel *non obstante quacumque consuetudine contraria* etc. A fortiori autem lex generalis privilegia non abrogat nisi expresse (iuxta dicta *n. 195*) revocentur.

317. *Quot modis* ***consuetudo*** *contra legem accidere potest?*

Multipliciter; et praecipue 1° mala fide, dum scilicet subditi inique prorsus legem iustam non acceptant, vel iam acceptatam non observant. 2° Ex ignorantia vel errore, sive quia legis notitiam non habuerint, sive quia (v. g. decepti a viris doctis) totaliter vel partialiter ab illa observanda se esse excusatos erronee crediderint; 3° Rationabiliter prorsus, si nempe lex propter mutatas circumstantias iam vere obligare cessaverit; vel (Principe sive expresse sive tacite sive interpretative consentiente) subditi opus praeceptum in aliud melius vel aequale commutaverint; ut puta, si in aliqua Dioecesi, facto pueris catechismo diebus dominicis, aliis diebus festis praetermitteretur; sed haec omissio, consuetudine catechismum ipsum tradendi tempore quadragesimali, abunde compensaretur.

318. Maxime notandum quod consuetudines possent esse generales, vel solum partiales vel etiam valde restrictae, v. g. in tali vel tali cathedrali, monasterio etc.

319. *Consuetudines* ***suntne omnes legitimae?***

Negative; multae enim sunt illegitimae, et tunc ***abusus*** seu *corruptelae* appellantur.

Abusus autem a peccato formali, aut saltem (supposita ignorantia et bona fide) materiali, nunquam seiungi possunt.

320. *An possint dari consuetudines legitimae* ***contra leges divinas?***

Contra leges divinas (sive naturales sive positivas) consuetudo nunquam potest esse legitima; Deus enim hominibus leges suas mutandi auctoritatem non concessit.

Contingere potest tamen quod determinatio modi satisfaciendi alicui legi divinae relicta fuerit Ecclesiae. Hinc sub hoc respectu subinde in legibus divinis quoque consuetudo mitior succedere potest rigidiori. Exemplum habes in operibus servilibus, quae diebus dominicis variam consuetudinem, iuxta diversa tempora et loca, admittere possunt.

321. ***Contra leges humanas*** *(sive civiles sive ecclesiasticas) possuntne introduci* ***consuetudines,*** *quae sint vel evadant* ***legitimae?*** Affirmative.

Patet I. Ex sensu communi, atque ab ipsis Legislatoribus. Iustinianus (*L. XXXII. § I. ff de Leg.*) dixit: « Rectissime illud receptum est, « ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu « omnium, per desuetudinem abrogentur ». Et Gregorius IX (*C. XI. de consuet.*) subiunxit: « Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis « auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo « debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime prae« scripta »; unde hic etiam Pontifex admisit valorem consuetudinis contra legem si fuerit rationabilis et legitime praescripta.

322. Patet II. Quia consuetudo interdum nihil aliut est quam signum, aut tacita interpretatio, legis iam (sine ulla subditorum malitia) per se cessantis (ut supra *n. 317* inuebam); interdum vero, sive quia sit aeque bona ac lex, sive quia ex una parte absque provocatione maiorum malorum auferri nequeat, et ex alia ius naturale et divinum illaesum remaneat, comitem habet Principis consensum, qui potest esse 1° *expressus;* 2° *tacitus* si nempe Princeps videat, atque (ex intentione permittendi ut sua lex corruat) taceat; 3° *legalis*, quatenus scilicet in generali voluntate Principis hoc etiam includitur, ut ius commune (atque adeo etiam praedictam legem circa consuetudines) approbet.

323. Patet III. ex D. Thoma (*1ª. 2ª XCVII. ad 2*) dicente: « Cum « tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc « manifestatur per consuetudinem quod lex ulterius non est utilis, sicut « etiam manifestaretur si lex contraria verbo promulgaretur. Si autem « adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non « consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, nisi forte per hoc solum, « inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudi« nem patriae...; difficile enim est consuetudinem multitudinis removere ». Et postea (*ad 3*) subdit: « Si multitudo non habeat liberam potestatem « condendi sibi legem, vel legem a superiori potestate positam removendi, « tamen ipsa consuetudo in tali multitudine praevalens obtinet vim legis, « in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem im« ponere: ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo intro« duxit ».

324. ***Quid exigitur ut consuetudo*** *contra legem humanam sit* ***legitima?*** Hoc in puncto exponere oportet quid dicant Auctores, et deinde determinare quid dicendum sit.

325. *Quid dicunt **auctores?*** Innixi praedictis Gregorii IX verbis, dicunt consuetudinem (ut sit legitima) esse debere legitime praescriptam et rationabilem.

Sed in his duabus dotibus interpretandis minime sunt concordes et confusissime loquuntur.

326. *Quid dicunt de prima dote consuetudinis, quod nempe sit **legitime praescripta?***

Plures distinguunt inter leges civiles et ecclesiasticas. Dicunt autem quod pro civilibus decem, et pro ecclesiasticis quadraginta anni sufficiunt et exiguntur. Suarez (*De Leg. VII.* XVIII *12*), Hostiensis etc.

Alii, etiam quoad leges ecclesiasticas, dicunt exigi et sufficere decennium; sed limitant dummodo lex non fuerit recepta et nunquam obedientiam obtinuerit. Cf. S. Lig. (*I. 159*).

327. Alii hanc limitationem reliciunt, et dicunt decennium sufficere, quamvis de lege sub initio recepta ageretur. Bened. XIV (*De Syn. XIII.* v. 4), Lugo (*De iust. VII. 94*), Lessius (*II.* VI. *47*), S. Lig. (*l. c.*), De Angelis (*I.* IV. *7*), etc.

328. Alii distinguunt secundum quod consuetudo legi deroget per viam *praescriptionis* mere (scilicet Principe nihil sciente), et per viam *conniventiae* (scilicet Principe sciente et tacente). In primo casu decennium exigunt, sed in secundo tempus longe brevius sufficere posse censent.

Benedictus XIV (*De Syn. XIII.* v *3*) scripsit: « Nullum temporis spatium « esse necessarium, quando Legislator scit suam legem non recipi, et, cum « commode possit eiusdem observationem urgere, dissimulat tacetque, neque « in transgressores animadvertit; tunc quippe post paucos actus a Superiore « toleratos, praesumitur quod idem per hanc ipsam conniventiam suam legem « tacite revocet, nolitque eâ obstringere communitatem cui displicet ». Idem « sentit Suarez (*l. c. 17*), qui tamen magis accurate loquitur et dicit: « Con- « suetudinem non praescriptam aliquando sufficere ad derogandam legem, « si Princeps sciat consuetudinem, *et ipsa talis ac tanta sit ut moraliter « sufficiat ad iudicandum Principis consensum* »: postea autem (*n. 18*). subdit, temporis determinationem arbitrio prudentum tunc esse relinquendam.

Equidem hi auctores loquuntur de consuetudine contra legem non acceptatam; sed alii idipsum admittunt etiam in casu legis receptae. Lessius (*II.* VI *45*) scripsit: « Verius esse non requiri certum tempus, ut « consuetudo possit legem tollere... sciente Principe et non se opponente... « Hinc sequitur saepe fieri ut paucis annis lex abrogetur per consue- « tudinem, *etiamsi ante recepta fuerit* ». Idem dicit Lugo (*l. c. n. 92*).

329. Alii, agentes de consuetudine derogante legi per viam praescriptionis, dicunt quidem exigi saltem decennium; sed ita ut, decennio etiam non completo, lex remanere possit abrogata quoad obligationem in conscientia; et eo solo sensu decennium exigi, ut illo decurrente Princeps possit corrigendo et puniendo suam legem sustinere, quin legem novam condendi necessitatem habeat. Lessius (*l. c. 46*) Salmant. (*De Leg. VI 13*) S. Lig. (*I. 107. 139*) etc.

330. Alii denique (pariter agentes de consuetudine per viam praescriptionis legi derogante) sentiunt, nullum tempus determinari posse, et modo plus exigi modo minus sufficere; aliud enim est si actus a lege considerati v. g. singulis diebus vel hebdomadis, et aliud si solum singulis annis, vel trienniis vel decenniis accidant; item aliud est si de re magni momenti et praeiudicii, et aliud si de re leviori agatur. Hinc dicunt, iudicio

prudentum in quovis casu decisionem relinqui debere. Cf. Vecchiotti (*I.* § *28*), S. Lig. (*I. 107*), Pichler (*I.* IV *10*) etc.

331. *Quid dicunt auctores de secunda dote consuetudinis, quod scilicet debet esse* ***rationabilis?***

Rationabilitas ista considerari potest 1° in se; 2° quoad conscientiam subditorum ; 3° quoad Principem.

332. Multi itaque, considerando *consuetudinis rationabilitatem in se,* varias dant regulas ; scilicet non omnes aequali modo loquuntur.

Aliqui dicunt solum, consuetudinem esse rationabilem si neque iure divino, neque iuri naturali contraria sit, neque expresse a iure reprobata, neque in legislatoris contemptum invecta fuerit. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XIII.* v. *5*).

Alii longe communius exigunt insuper ut neque sit communi utilitati perniciosa, neque ecclesiasticae disciplinae nervum infirmet, neque indecentiam vel deformitatem (etsi lege naturali non praecise vetitam) includat. Cf. Pichler (*I.* IV. *7*), Schmalzgrueber (*I.* IV. *7*). Reiffenst. (*I.* IV. *34*), Sporer (*Supp. Dec. I. 305*). De Angelis (*I.* IV. *6*), Vecchiotti (*I.* § *28*), Pallottini (*v. g. Lex. 127*) etc.

333. Alii, considerando *consuetudinis rationabilitatem quoad conscientiam subditorum,* iterum dividuntur in sententias oppositas.

Multi, ut consuetudo rationabilis esse possit, bonam fidem necessariam esse contendunt, et, quamvis aliqui ex istis admittant incipere posse mala fide (et sic ab initio posse esse irrationabilem) ; attamen illam (per vim praescriptionis) legem destruere non posse docent, nisi bona fides successerit et quidem ita ut toto tempore ad praescribendum necessario perduraverit. Lessius (*II.* VI. *46*), Laymann (*De Leg. XXIV 11*) aliique apud Schmazgrueber (*I.* IV. *25*).

Plures e contra huiusmodi bonam fidem minime necessariam esse contendunt, adeo ut Suarez (*VII.* XVIII. *24*) scripserit : « Licet omnes actus « facti contra legem ante completum tempus praescriptionis, vel ante « sufficienter praesumptam voluntatem tacitam Principis (conniventis), fuis- « sent mali; nihilominus tandem, completo tempore vel indicio (conni- « ventiae), abrogaretur lex ex vi iuris, vel tacitatae voluntatis Principis, « quae iusta est licet actus subditorum mali fuerint » Cf. Schmalz. (*l. c.*), Lugo (*De Inst. VII 96*), De Angelis (*I.* IV. *7*). D'Annibale (*I.* 167) etc.

334. Alii autem, considerando *consuetudinis rationabilitatem in Principe*, quatenus scilicet rationabile sit necne ut Princeps (seu ius) illam permittat ; dicunt consuetudinem esse irrationabilem, quando, omnibus perpensis, ratio condescendendi non inveniatur atque adeo illicitum sit Principi illi condescendere : e contra autem esse rationabilem, si pariter omnibus perpensis (inter quae venire potest consideranda etiam durities et malitia populi reluctantis), Princeps debeat aut saltem possit legis suae cessationi consentire et consuetudinem permittere. Cf. Suarez (*VII.* XVIII. *20*), et Vecchiotti (*I.* § *28*), qui dicit : « Sanchez (*De Matr. VII.* IV. *14*) « et Reiffenstuel (*De Consuet.* § *II. n. 33*) eam consuetudinem rationa- « bilem dicunt, quae potest esse obiectum legis iustae, derogantis legi iam « existenti ». Et Ballerini (*Op. theol. De Leg. 38 8*) subiungit: « Cum ad « consuetudinem quamcumque requiratur consensus legislatoris, non po- « test reddi licitum ac rationabile consuetudine, quod licitum legislatoris « voluntate et approbatione reddi non potest ». Quandoquidem (ut ait Suarez *l. c. 20*) « Non est praesumenda prava voluntas in Principe ».

335. Alii denique, considerando rem istam quam maxime obscuram atque implicatam esse, dicunt prudentis iudicis arbitrio decernendum, utrum

consuetudo aliqua rationabilis, an vero irrationabilis sit. Cf. Pallottini (v. *Lex 126*) et Salmant. (*De Leg. VI. 14*).

336. ***Quid igitur concludendum?*** Meo sensu, statuenda sunt sequentia.

I. Donec perdurat scandalum: donec scilicet sanior pars populi seu personae timoratae conscientiae, legem observant et de trasgressoribus scandalizantur: non est cur de legis cessatione et de consuetudine legitima, quae legem destruxerit, verba faciamus.

II. Si e contra ne personae quidem bonae conscientiae legem observent, et de actibus legi oppositis iam nemo scandalizetur; tunc, si ex consuetudine contra legem invecta, nullum damnum, nulla deformitas, nullae malae consequentiae sequantur; iam pro consuetudinis ipsius legitimitate in conscientia unusquisque stare poterit. Exemplum habes si consuetudo, propter aliquam compensationem aliamve circumstantiam particularem, esset bona aeque ac lex vel magis quam lex (Vide supra *n. 317*). Sic Mediolanenses non ieiunant primis quatuor diebus quadragesimae, sed supplent ieiunando diebus Rogationum.

337. Dixi *in conscientia*; si enim tempus longaevum non adhuc praeteriisset, consuetudo non ita legitima evasisset ut Princeps (in illius notitiam deveniens) non amplius reclamare et punire posset autem reclamante, utique consuetudo interrumperetur, et subditi obedire deberent; nec (ut mox supra *n. 329* innuebatur) opus esset ut Princeps ipse novam legem conderet.

Idem dic si deformitas aliqua quidem subsisteret sed Princeps obedientiam ita sperare nequiret ut iam lex inconsulta evaderet.

III. Si consuetudini contra legem bona fide quidem omnes obsecundarent, sed ex una parte attentis illius malis consequentiis, vel damnis, vel deformitate etc.; et ex alia, attenta possibilitate obtinendi obedientiam, non bene se gereret Princeps si vere permitteret; tunc consuetudo ipsa tamquam abusus et corruptela consideranda esset. (Cf. supra dicta *n. 334*).

Huiusce generis consuetudinum (seu abusuum) innumerabilia habemus exempla. Nonnulla refero.

338. *Quoad parochos.* Consuetudo habendi sermonem ad populum

diebus dominicis tantummodo, illumque praetermittendi aliis diebus festivis de praecepto (Acta *IX 465*). Item illum omittendi in Cathedrali quia in illa adsunt aliae conciones (Acta *XV. 324 ad* VII). Item non praedicandi personaliter (Lucidi *I.* III. *312*). Omittendi doctrinam christianam aliquo mense, v. g. ob dierum brevitatem vel quia tunc pauci pueri concurrunt (Lucidi *II.* IX. *101*). Item non tradendi vel non dirigendi illam personaliter (Acta *XV. 325 ad* IX). Consuetudo non deferendi corpora defunctorum ad Ecclesiam antequam sepulturae tradantur (Acta *XII 318*).

Quoad canonicos. Consuetudo non applicandi missam conventualem pro benefactoribus, vel praestandi in choro solam praesentiam personalem neque se adiungendo mansionariis in cantu (Bened. XIV *Const. Cum semper oblatas*). Consuetudo (v. g. ratione frigoris) interveniendi cum habitu communi sine veste talari, vel sine superpelliceo et bireto (S. R. C. *Decr. 3199* et Acta *XII. 207*). Consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia extra casus iure permissos vel etsi canonicus elata voce (etsi posset) non cantet (Reiffenst. *III.* IV. *173* et Acta *XIII. 453*). Consuetudo qua canonici absint a choro ad celebrandam missam, nisi propter commodum populi et de licentia praefecti chori (Acta *l. c.*). Consuetudo cogendi novum canonicum ad parandum convivium aliis canonicis. (S. C. C. apud Giraldi *I.* XXXVI. *104*)

Varii casus. Consuetudo non deferendi habitum clericalem (Bened. XIII *Const. Catholicae Eccl.*) — Admittendi ad professionem religiosam, non facto novitiatu in locis consuetis (Urbanus VIII *Const. Religiosos*) — Non observandi clausuram quoad monasteria sive monialium sive religiosorum (Cf. Giraldi *l. c. nn. 75. 89. 97*). — Non observandi legem Benedicti XIV circa necessitatem duarum sententiarum conformium ut matrimonii vinculum ratione impotentiae solutum habeatur (Acta *X 504*). Permittendi ut laici, in defectu clericorum, pluvialia induant in sacris functionibus (Acta *Index II. dec.*).

339. *Quid* ***in dubio*** *an consuetudo sit sufficienter rationabilis, atque adeo an per ipsam lex abolita fuerit?*

Suarez (*VIII.* VI *15*) dicit quod si consuetudo esset antiqua et ab omnibus tranquille servata, iam dubium sperni deberet, quandoquidem praesumptio pro illa militaret. S. Lig. autem (*III. 290*) ulterius progreditur, et hic quoque recurrit ad principia probabilistica, inquiens: « Ad excu- « sandum sufficit probabilis consuetudo; sufficit enim, ut « dicunt Salmant. (*De Leg. VI 8*), dictum unius doctoris « eximii, etiam moderni, qui consuetudinem asserat »; idemque dicit *l. c. n. 112. q. 3° Secunda.* Aliud tamen esset si longe maior probabilitas in contrarium foret.

340. *Potestne dari consuetudo, quae deroget* ***etiam legibus Concilii Tridentini?***

Excluso casu consuetudinis generalis iam a S. Sede cognitae et tacite approbatae, difficile hoc accidere potest. Ratio autem repeti debet non tam a clausulis in Triden-

tino ipso insertis contrarias consuetudines reprobantibus, quam ex praxi admodum constanti S. Sedis consuetudines huiusmodi reprobandi : quae praxis aequivalere videtur declarationi, qua Summus Pontifex monet se velle Tridentinas leges inviolatas servari, et se minime consuetudinibus contrariis consentire. Cf. Acta *XIII. 553. not.*).

Excipe nisi de mutatione leviori et consueta ageretur, vel nisi propter mutatas alicubi circumstantias, aliquam ex huiusmodi legibus iam non amplius illuc subsistere posse iam evidenter constaret. Acta (*IV. 26*) et De Angelis (*I.* IV. *12*).

341. ***An lex generalis deroget consuetudinibus vel statutis particularibus locorum, quae ante ipsam aderant?***

Quoad leges pontificias (seclusa clausula specialiter derogante), negative. Patet ex Bonifacio VIII (Cap. *Licet de const. in VI*) dicente « Quia Romanus Pontifex loco-« rum specialium consuetudines et statuta, cum sint facti « et in facto consistant, potest probabiliter ignorare ; « ipsis, *dum tamen sint rationabilia*, per constitutionem « a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non « intelligitur in aliquo derogare ». Oportet tamen ut concludenter probetur consuetudinem vere existere atque esse particularem simulque rationabilem Cf. Vecchiotti (*I. § 67*). Oportet etiam ut sive ex multitudine harum consuetudinum sive ex aliis indiciis praesumendum non sit quod Pontifex eas abrogare intenderit. Scavini (*I 247*).

Quoad leges episcopales aut diocesanas, affirmative ; praesumitur enim quod Episcopi consuetudines etiam particulares in ipsorum territorio (quod non adeo extensum esse solet) cognoscant Scavini (*l. c.*).

Affirmative pariter (apud nos) quoad leges in codice civili contentas (*Legge transit. per l'attuaz. del nuov. cod. 1886 A. 18*). Excipe tamen locales consuetudines commerciales, quae iuri communi praevalent. (*Cod. comm. A. 89*).

342. *Quid si in lege adsit clausula* ***non obstante quacumque consuetudine?*** *Haec clausula derogatne omnibus consuetudinibus particularibus tam antecedentibus quam subsequentibus?*

R. I. Clausulâ istâ Pontifex significat se velle ut lex sua exceptionibus non enervetur atque ubique modo uniformi vigeat, et hac de causa contrarias consuetudines particulares, quae forte alicubi subsistant, (quamvis in se tolerabiles viderentur) suppressas esse decernit. Consuetudines itaque *antecedentes* certo certius hac clausula supprimuntur. Duo tamen sunt advertenda. 1° Si aliqua consuetudo contraria in rationibus specialibus adeo momentosis fundaretur, ut nedum tolerabilis sed omnino toleranda et permittenda esset; tunc illa comprehendi non posset. 2° Consuetudines sive *immemorabiles* sive *centenariae* in clausula generali praedicta non comprehendntur, sed particulari mentione indigent. Scavini (*l. c.*)

II. Quoad consuetudines in *posterum subsecuturas,* meo sensu, sic distinguendum est:

Clausula valet certe etiam contra illas, si tales futurae sint ut eisdem condescendere non expediat: idque verum erit multo magis si Pontifex expresse interdixerit ne in posterum ulla consuetudo contra legem valere possit, aut decreverit consuetudinem contrariam tamquam irrationabilem vel tamquam abusum aut corruptelam esse habendam; quod tamen semper limitandum esset dummodo circumstantiae a Legislatore non praevisae rei statum mutaturae non sint.

Enimvero non valebit clausula contra consuetudines in posterum subsecuturas, si propter circumstantias expediat ut approbentur, vel si expresse aut tacite iam approbatae fuerint. Idque verum esse potest quamvis in prima lege tamquam corruptelae et abusus reprobatae fuissent; ut enim mox supra innuebam, bene contingere valet quod, mutatis circumstantiis, consuetudo quae prius irrationabilis atque intolerabilis erat, postea rationabilis et nedum tolerabilis sed prorsus toleranda et permittenda evadat. Cf. Palao (*Tr. III. D.* III. *P.* IV. *§* II. *6-10*).

Sed de Legibus iam satis.

TRACTATUS II.

De actibus humanis

Quum in tractatu praecedenti egerim de lege in se, nunc de illa quatenus est in conscientia hominis et transgressionibus subiicitur, scilicet de conscientia et de peccatis, agendum esset. Quia tamen hi tractatus accuratam actuum humanorum cognitionem praeexigunt, ideo de actibus humanis prius agendum est.

Agam itaque 1° de actibus humanis in se spectatis; 2° de actuum humanorum moralitate (seu relatione cum lege) pariter in se considerata. Dixi *in se considerata*; de illa enim considerata in conscientia subiecti, in tractatu de conscientia postea agendum erit.

Acturus autem de actibus humanis in se spectatis, exponam prius actus humani definitionem; dein agam de voluntario eiusque distinctionibus; et denique de iis quae voluntario opponuntur verba faciam.

CAPUT I.

DE ACTIBUS HUMANIS IN SE SPECTATIS.

ARTICULUS I.

De actus humani definitione.

343. ***Quid est*** *actus humanus?*

Sensu scholarum, actus humanus est *actus voluntarius*. Nomine autem voluntarii hic intelligitur actus liber. Cf. Ballerini (*Op. th. I n. 5*).

Actus humanus potest esse *internus* et *externus*, *elicitus* et *imperatus*. Sed haec melius declarabuntur mox infra.

344. *Quid itaque de actibus qui ab homine quidem fiant, sed non voluntarie aut non libere?*

Hi *actus hominis*, sed non actus humani (in sensu scholarum) dici poterunt; idque verum est non solum si de actibus qui brutis quoque communes sunt (prout essent, v. g. videre, audire, iter facere, imaginari, reminisci etc.) agatur; sed etiam si de actibus, qui hominis proprii sunt (prout essent, v. g. intelligere, ratiocinari, loqui, ridere, etc.), ageretur.

Si itaque homo distractus, et voluntate non imperante, cogitet, ratiocinetur etc.; aut si absque advertentia et veluti ex instinctu ad actum *primo primum* (ut aiunt) procedat; aut si infans, vel demens, vel dormiens, vel ebrius etc. aliquid faciat; in his casibus actus quidem hominis, sed non humani, (deficiente voluntate libera) intervenirent.

Idem dic si voluntas quidem ageret, sed non libere, ut in desiderio summae felicitatis (quae necessario appetitur) contingeret.

ARTICULUS II.

De voluntario eiusque distinctionibus, et de involuntario.

345. *Quid exigitur ut actus sit* ***voluntarius (et liber)?***

Exigitur ut, praevia cognitione intellectuali, voluntas libere ad electionem procedat seu se resolvat.

Actus itaque voluntarius distinguitur ab instinctivo, qui dicitur etiam *spontaneus* et procedit a sola cognitione sensibili (ut in brutis), non vero a cognitione intellectuali, quae iudicat de aptitudine medii ad finem, ratiocinando sic vel sic fieri posse ut talis vel talis finis obtineatur, quod solius agentis rationalis proprium est. S. Thoma (*1. 2 VI.* II).

346. *Adestne differentia inter* ***actum voluntatis, actum voluntarium, et effectum voluntarium?***

Affirmative.

Exemplo rem declaro. Titius occidit Caium. Ille imprimis ad hoc delictum perpetrandum se resolvit. En actus voluntatis, qui in sola eiusdem voluntate residet. Postea arma capit, Caium inquirit, et ictum lethalem ei infligit. En actus voluntarii, qui non a voluntate sola, sed etiam

ab aliis potentiis (voluntate ipsa imperante) eliciuntur. Denique sequitur mors Caii. En effectus voluntarius, qui causâ eorundem actuum provenit. Effectus autem ordinarie postea, et extra agentis personam accidit. Dico *ordinarie;* aliquando enim eodem tempore accidit, atque in agente ipso (ut in suicidio) accidere posset.

Notandum 1° quod actus et effectus voluntarii, qua parte extra agentis voluntatem resident, denominative tantummodo et effective, non vero intrinsece, voluntarii sunt: in aliis enim potentiis, atque a fortiori in effectu extra agentis personam secuto, voluntas non adest. Notandum 2° quod actus voluntarii, si externi sint, *actiones* dicuntur. Notantum 3° quod in praesenti articulo, non solum de actibus, sed etiam de effectibus voluntariis, et sic de voluntario in tota sua extensione considerato, sermo habetur.

347. *Quid de differentia inter actum* ***elicitum et imperatum?***

Auctores communius solent appellare *elicitos* illos actus voluntatis, qui (ut dixi) in sola voluntate resident, cuiusmodi sunt velle, intendere, eligere, consentire, desiderare, gaudere, amare, sperare, odio habere etc. Solent autem appellare *imperatos* illos actus voluntarios, qui (ut dixi), imperante voluntate, ab aliis potentiis eliciuntur; cuiusmodi esse possunt, v. g. cogitare, imaginari, loqui, deambulare etc.

Ita (inquam) rem hanc intelligunt auctores communius (unde dictio *technica*, utique servanda, efformata est); sed in rigore (prout alii observant) actus dici deberet (et reapse subinde dicitur) *elicitus* in quantum a sua propria potentia immediate producitur; et *imperatus* in quantum a voluntate imperatus fuerit. Sic, v. g. actus fidei elicitur ab intellectu et imperatur a voluntate. Imaginationes eliciuntur a phantasia et pariter imperari possunt a voluntate. Unde patet quod unus idemque actus (rigorose loquendo) elicitus simul et imperatus esse potest. Imo omnes actus imperati (a voluntate) sunt etiam eliciti (a potentia propria). Non tamen e contra. Adsunt enim actus eliciti qui non sunt imperati. Huiusmodi sunt 1° omnes actus involuntarii; 2° plurimi actus voluntatis, qui reapse ordinarie sunt solum eliciti. Dixi *ordinarie;* videtur enim quod voluntas uno actu alium actum (v. g. actum spei, amoris etc.) sibi ipsi imperare possit. Cf. Ballerini (*Op. th. I 9. 9*), Lehmkuhl (*II 2*), Ferretti (*Inst. I.* II. I *41*).

348. *Quid de differentia inter voluntatem* ***conditionatam*** *et* ***absolutam?***

Voluntas *conditionata* contingit quando quis aliquid vult sub tali vel tali conditione.

Ad hanc reducitur vel assimilatur *velleitas*, quae tunc maxime locum habere solet, quando quis de effectu desperat; prout in infirmo, qui de recuperanda sanitate desperans, illam vellet si possibilis esset.

Voluntas autem *absoluta* contingit, quando quis, nulla adiecta conditione, aliquid vult.

349. *Quid de differentia inter voluntatem* ***efficacem et inefficacem ?***

Voluntas dicitur *efficax* quando quis id quod vult, vere et hic et nunc obtinere satagit (veniendo ad actum, adhibendo media etc.).

Dicitur e contra *inefficax* quando quis, etsi aliquo modo rem aliquam velit, tamen nullatenus ad actum devenire intendit (prout contingit in meris velleitatibus, et in desideriis de rebus quae a nobis perfici nequeunt, v. g. desiderando pluviam).

Quodam sensu voluntas dici potest inefficax etiam quando intendit quidem devenire ad actum, sed solum in posterum; donec enim manus operi non apponatur, voluntas adhuc inefficax remanet. Tunc autem quidquid sequatur, homini voluntarium minime dicitur, etsi volitum esse possit, ut statim explico.

350. *Quid de differentia inter* ***voluntarium et volitum ?***

Volitum est *obiectum* voluntatis; voluntarium autem est voluntatis *obiectum simul et effectus*.

Hinc volitum latius extenditur quam voluntarium. Voluntarium enim ad effectus voluntatis efficacis restringitur (ut modo dicebam); volitum autem non solum ad eosdem effectus, sed etiam ad alia voluntatis obiecta extenditur.

Sic pluvia desiderata erit quidem volita, sed non voluntaria; et idem dic de multis quae desiderio, approbatione, complacentia etc. voluntas amplectitur, quin illa causaverit; illa quippe omnia volita quidem sed non voluntaria erunt. Approbas, v. g. actionem alterius; illa erit a te volita. Ipsemet illam ponis; erit tibi voluntaria.

351. *Quid de distinctione inter* ***voluntarium perfectum et imperfectum ?***

Voluntarium *perfectum* contingit quando plena cognitio et plenus consensus intervenit. Si autem cognitio non plena aut consensus non plenus interveniat; tunc voluntarium *imperfectum* locum habet.

352. Sed quandonam aderit plena cognitio et plenus consensus? Plena cognitio et plenus consensus considerari possunt a parte actus et a parte obiecti.

A parte actus cognitio erit non plena si sit non clara (sed obscura et confusa). Item consensus erit non plenus si fuerit fere solum adhaesio instinctiva, vel inclinatio, vel lucta quaedam; aut si interfuerit resistentia (etsi languida et debilis); erit autem plenus si fuerit vera deliberatio quae modo humano locum habuerit.

Casus autem cognitionis non plenae et consensus non pleni praesertim in repertinis eventis (v. g. aggressionis, incendii etc.) quae vehementissimos animi motus statim suscitent; aut in statu pueritiae, vel semidementiae, vel semivigiliae, vel semiebrietatis; aut occasione vehementissimae passionis (v. g. irae) subito accensae, practice contingere solent.

Sed de re ista in tractatu de peccatis sermo redibit.

A parte autem obiecti cognitio erit plena vel non plena (et idem dic de consensu), secundum quod obiectum ex toto cum suis circumstantiis omnibus; aut solum ex parte cognoscatur vel advertatur; ut puta, si quis occidat Petrum cognoscendo esse hominem, sed non cognoscendo esse clericum.

353. *Quid de voluntario* ***simpliciter*** *et de voluntario* ***secundum quid?***

Sensu scholarum casus iste contingit quando voluntarium est id quod fit, simulque voluntas fertur in oppositum quod non fit, sed fieri vellet.

Exemplum habes in proiiciente suas merces in mare, ut in naufragio navem exoneret et vitam salvet. Ille quippe verissime vult proiicere merces, simulque vellet eas conservare; unde proiectio *simpliciter* (scilicet efficaciter et stricto sensu), conservatio autem *secundum quid* (scilicet inefficaciter, lato sensu, atque ad modum velleitatis) voluntaria est. Cf. Ferretti (*l. c. 40 div. 5*).

354. *Quid de voluntario* ***propter aliud,*** *et de voluntario* ***propter se?***

Voluntarium *propter aliud* est quod quaeritur tamquam medium ad aliud assequendum.

Quod autem non tamquam medium quaeritur, voluntarium *propter se* appellatur.

Exemplum. Titius sumit medicinam amaram ad recuperandam sanitatem. Recuperatio sanitatis propter se, medicinae vero sumptio propter aliud voluntaria est. Ferretti (*l. c. div. 6*).

355. *Quid de voluntario* ***in se,*** *et de voluntario* ***in alio,*** *seu* ***in causa?*** *Et quid de* ***simpliciter permisso?***

Voluntarium in se est id quod a voluntate explicite appetitur et quaeritur.

Titius, v. g. vindictae animo contra Caium atque etiam contra Sempronium eiusdem creditorem, ignem domui Caii applicat, ut illius divitias ibi maxime coadunatas incendat, et sic nedum Caium ipsum sed etiam Sempronium in ruinam coniiciat. Utique haec omnia (scilicet domus destructio, amissio divitiarum, ruina Caii et Sempronii) sunt Titio voluntaria in se.

Interim observa 1° quod voluntaria in se ea quoque possunt esse, quae non propter se sed propter aliud (tamquam media ad finem, ut in destructione domus propter vindictam) voluntaria sunt; 2° quod etiam effectus illi qui ex actione remote sequuntur, si explicite intendantur ab illo qui eandem actionem ponit, sunt eidem voluntaria in se.

Voluntarium in alio seu in causa contingit quando quis talem vel talem effectum minime intendit; illum tamen certe vel facile secuturum esse praevidet (sive distincte sive in confuso) ex actione (vel omissione) sua; neque ab illa abstinet, dum, nulla sufficienti causa excusatus, abstinere posset atque (intuitu eiusdem mali effectus) deberet.

Exemplum habes in eo qui ebrietati indulget probe sciens se in ebrietate constitutum persaepe rixari, quamvis eius voluntas ipsas in se rixas minime intendat.

Etsi autem peccatum exterius compleatur solum quando sequitur effectus, a quo denominari solet; tamen reatus et culpa tunc tantummodo accidit quando interius voluntarie ponitur causa.

Gradus autem huius culpae non semper aequivalet malitiae effectus secuturi; et bene contingere potest quod

effectus sit malum gravissimum, et reatus in causa non adeo gravis vel etiam levis fuerit.

Denique *simpliciter permissum* non dicitur voluntarium. Contingit quando quis praevidet quidem effectum, sed illum impedire non tenetur atque adeo non impedit.

Exemplum habes in duce exercitus, qui in bello iusto ad expugnandam urbem tormenta in eum locum, in quo plures sunt innocentes, dirigere necesse habeat; istorum enim innocentium mors ne in causa quidem erit eidem duci voluntaria, sed simpliciter permissa dici debebit. Ferretti (*l. c. div. 4*).

356. Quum doctrina de voluntario *in causa* aut de re simpliciter permissa, magni momenti sit in praxi, paulo fusiori sermone sequentes explicationes hic superaddo.

Imprimis bene distinguendum est voluntarium *in se* a voluntario *in causa*. Quando aliquis effectus est intentus seu quaesitus, tunc est voluntarius in se; si vero esset praevisus sed non intentus, tunc voluntarius tantummodo in causa esse potest. Exempla. Turpia legis ad finem excitandi motus carnales; hi motus erunt voluntarii in se. Turpia legis ex curiositate praevidendo motus carnales esse subsecuturos, sed illos non intendendo; hi motus erunt voluntarii in causa.

Sed non semper ac malus effectus sequitur ex causa (quae modo *actio* modo *omissio* esse potest), non semper (inquam) effectus ipse voluntarius in causa (scilicet imputabilis) est. Medicus, v. g. patitur motus carnales quia foeminis medetur, aut quia more religiosorum se non flagellat, non ieiunat etc. Nunquid hi motus, propter actiones vel omissiones huiusmodi erunt ei voluntarii in causa? Nequaquam; sed erunt solum *permissi*, ut dixi.

Quid ergo exigitur ut aliquis malus effectus in causa voluntarius et imputabilis sit? Theologi multa enumerant: quae tamen ad duo reducuntur; oportet scilicet 1° *ut ponere talem vel talem causam aut occasionem vere prohibitum sit, intuitu mali effectus*; 2° *ut subiectus, praevidendo effectum ipsum et mala fide procedendo, causam ipsam apposuerit*. Haec duo sunt explicanda.

357. *Quoad primam:* ad iudicandum quando intuitu mali effectus prohibitum sit, necne, ponere causam vel occasionem, perpendendae sunt circumstantiae, et fere solum in casibus particularibus decisio clara et accurata dari valet. Hic tamen generaliter observari potest quod regula suprema sumitur a recto ordine, qui 1° interdum exigit ut, ratione mali effectus, modo sub gravi modo sub levi vetetur ne causa apponatur; 2° interdum e contra exigit ut causa licite apponi possit, aut quod 3° ratione praedicti effectus nullam specialem malitiam induat; 4° interdum denique exigit ut; non obstante malo effectu, causa apponi nedum possit sed debeat.

358. Exempla pro casu in quo rectus ordo postulat ut causa *debeat* apponi.

Dux exercitus debet capere urbem, quamvis exinde innocentes quoque casu occidantur. — Parochus debet audire confessiones, quamvis exinde motibus carnalibus forte subiiciatur. — Peccatori occulto publice petenti sacramenta ministrari debent, quamvis sacrilegium subsequantur. — Prin-

ceps (ubi ad maiora mala praecavenda id exigatur) meretrices et cultus falsos tolerare debet. — En itaque casus, in quibus, non obstantibus malis effectibus, rectus ordo postulat ut causae vel occasiones apponi nedum possint sed debeant.

359. Exempla pro casu in quo rectus ordo sinit ut causa *possit* apponi. Non obstante praevisione pollutionis (saltem secluso periculo consensus) licet quasdam confricationes facere ad sedandum molestum pruritum ex sanguinis acrimonia provenientem, aut equitare, aut colloquium honestum et utile habere cum persona diversi sexus, aut more solito aliquantulum vini sumere in coena, aut commodo situ decumbere in lecto etc. — Facile licitum est uxori petere debitum a marito, quamvis ille onanistice processurus sit. — Idem dic de petitione mutui ab usurario. — Idem dic de muliere ad ecclesiam vel deambulationem se conferente, etsi, occasione ista, peccata alicuius praevideat etc.

360. Exempla pro casu in quo rectus ordo postulat, ut causa mala ratione pravi effectus subsequentis, *nullam specialem malitiam induat;* unde causa ipsa erit quidem illicita per se, sed non propter effectus, qui in causa imputabiles minime evadunt.

Titius suam corporalem salutem temere gravibus periculis exponit, et morbum diuturnum contrahit; unde fit ut neque diebus festis missam audire, neque in vigiliis ieiunare valeat etc. — Caius occidit inimicum suum, et ex hac morte sequitur quod dives aliquis creditor occisi insolutus remaneat. — Sempronius, si in coena tantillum carnis manducet, pollutioni nocturnae (utique ei non imputabili) subiicitur; sed die quoque veneris et sabbati in coena carnem manducat, unde etiam illis noctibus pollutionem patitur. — Nunquid Titio omissiones Missae et ieiunii; nunquid Caio damnum dicti creditoris; nunquid Sempronio pollutiones praedictis noctibus secutae, imputari debebunt? Minime.

361. Exempla pro casu in quo rectus ordo postulat, ut causae appositio ratione pravi effectus *illicita evadat:* et in quo proinde reatus in causa a parte rei vere subsistit.

Sclopetum explodis ad occidendum leporem, vel deiicis maceriem e tecto in viam sine consuetis cautelis, ita ut in utroque casu homines occidere possis. — Quamvis non intendas homicidium, volenti hic et nunc alium occidere arma tradis. — Pharmacopola venena vel pharmaca abortiva vendit. — Munera proprii status, v. g. parochi, confessarii, medici, iudicis, tutoris etc. non addiscuntur vel negligenter adimplentur, unde malae vel pessimae consequentiae suborituraе erunt. — Superiores non corrigunt, non provident etc. dum corrigere et providere deberent etc. — Parentes, qui ad filios alendos sanitate indigent, negligunt curam propriae salutis et morbos contrahunt, unde non amplius filiis providere poterunt. — Malum perpetratur coram aliis, qui exinde scandalum patiuntur. — Vides aliquem in periculo vitae inscienter versari, et tu facile posses illum admonere ut sibi caveat, idque non facis etc.

362. Quoad *gradum culpae*, notandum quod reatus in causa interdum levis esse potest, quamvis effectus sit graviter malus. Exemplum habes in muliere, quae viro suo blasphemandi aliquam occasionem levem (etsi culpabilem) praebeat. Idem dic si quis, sive propter lectionem aut confabulationem leviter peccaminosam, sive propter aliquam intemperantiam in cibo vel potu, pollutionem nocturnam praevideret.

363. Ad *distinguendam casum a casu*, an scilicet reatus in causa sit gravis vel levis, aut adsit vel non adsit, regula tuta habebitur a sensu

communi. Deservire etiam possunt sequentes regulae seu reflexiones, quae ab auctoribus indicantur.

364. Consideretur *effectus*, quantum scilicet sit malus, et an sit certus vel incertus. Sic aliud est si aliquis motus carnalis, aliud si pollutio, aliud si consensus, aliud si insuper magnum scandalum, vel magnum aliquod delictum (v. g. homicidium) praevideatur.

365. Consideretur an *commodum* et facile, an vero incommodum et difficile sit a causa apponenda abstinere. Regulariter quo peior et certior, est malus effectus, eo gravius debet esse incommodum, ut excuset.

Ad aestimandum tamen incommodi gradum, respici debent circumstantiae, inter quas consideranda venit etiam frequentia casus. Sic foemina quae animadvertit suum egressum e domo fore alicui occasionem peccandi, teneri quidem poterit ad non exeundum una vel altera vice, si id sufficeret, non vero tempore diuturno sic abstinere cogeretur.

Non tamen exacta est regula ut, ad causam mali effectus licite apponendam, oporteat ut bonum malum compenset. Titius, v. g. praevidet quod, petendo decem francos a Caio suo debitore, ille iracundia accendetur et blasphemabit. Nunquid debebit abstinere a crediti sui petitione, quia bonum obtinendi decem francos malum blasphemiarum non compensat?

Insuper regula considerandi an facile sit a causa apponenda abstinere, interdum nullatenus locum habet; dantur enim casus in quibus homo a causa ipsa abstinere posset facile, imo (sub alio respectu) deberet; et nihilominus malus effectus ei non imputatur. Nunquid enim praedictae blasphemiae imputabiles essent Titio, eo quod ipse ditissimus foret illisque decem francis non indigeret; imo ad pravum luxuriandi finem illos peteret?

366. Consideretur an et quanta sit *connexio* inter causam et effectum; aliud enim est si causa sit suapte natura connexa cum illo effectu, et quasi ex se (ut aiunt) ordinata ad hoc; an vero sit indifferens ad alia multa, aut solum per accidens talem effectum habere possit, aut remote vel remotissime ad illum se habeat.

Praevides, v. g. pollutionem quia turpia vivide imaginaris. En connexio magna suapte natura, et en proinde gravis reatus in causa. Praevides e contra pollutionem ex usu carnis vel piscis, aut ex rasura barbae etc. En connexio accidentalis et remotissima, quae facile pro nihilo haberi poterit.

367. Plurimum interest etiam, an antecedenter ad pravum effectum, *ius habueris ponendi causam: an vero e contra speciali tenereris obligatione cavendi* ne causa ipsa apponatur et effectus ipse subsequatur. Reatus in causa difficile in primo casu, et semper in secundo aderit. Hinc, quum uxor ius habeat petendi debitum, difficile teneretur abstinere ab illo petendo etsi viri onanismum praevideret. E contra quum uxor specialem habeat obligationem non offendendi maritum, si procacitate aliisve modis illum offenderet, et hac de causa ille animo ab uxore sua alienatus ad alias mulieres diverteret, de adulteriis istis uxor minime innocens esset. Sic etiam genitores et tutores, si propter negligentiam in munere proprio adimplendo, malos effectus provocarent, utique de iisdem (aliquo modo) rei in causa forent.

368. Notant denique theologi, posse quidem *permitti* mala ut eveniant bona; sed non posse fieri mala ut eveniant bona. Cavendum itaque ne effectus malus sit reapse malum non permissum tantummodo, sed vere factum, etsi cum intentione boni effectus ex ipso subsecuturi. Ut malum sit permissum tantummodo, oportet ut id quod fit sit bonum, et bonum immediate producat, etsi simul aeque immediate producat etiam malum, quod non

intenditur. (Exemplum habes in perfricatione quae circa partes pudendas fiat, sicut fieret in partibus honestis ex sola intentione abigendi pruritum ex sanguinis acrimonia provenientem, quae perfricatio simul praeter intentionem produceret pollutionem). Si autem id quod fit esset malum nullo pacto faciendum, ex eoque medio bonum intentum subsequeretur; tunc malum non iam permissum sed factum esset, quod utique (ut patet ex terminis ipsis) nunquam licitum esse potest. Exempla. Puella gravida infamiam declinare intendens, procurat abortum. Mulier, stomachi vel uteri morbo laborans, ad leniendum morbum ipsum, pollutionem tamquam medium (prout reapse aliquando medium efficax foret) adhibet.

Sic explicatum est quandonam ponere causam vel occasionem prohibitum sit intuitu mali effectus; quod est primum requisitum, ut reatus in causa subsistat. Restat ut aliquid dicatur de secundo.

369. *Quoad secundum*, oportet (ut dixi) quod *malus effectus praevideatur, et mala fides subsistat,* dum causa ponitur; si enim quis malum effectum non praeviderit, vel utcumque bona fide processerit, quomodo reus in causa esse poterit? Peccatum esset quidem materiale, sed non formale et imputabile.

370. An autem malus effectus praevisus fuerit revera, est quaestio facti, et standum conscientiae subiecti. Si tamen ille ex antiquitate casus non recordaretur an effectum praeviderit; standum esset praesumptioni. Effectus praesumitur praevisus in duobus casibus: 1° si natura sua vel communiter sequi soleat (Ancilla, v. g. puerum biennem sibi commissum reliquit longo tempore inter pericula ignis, aquae, animalium, praecipitiorum etc.; unde puer in aliquo ex his periculis periit); 2° si quis iam sciebat ex propria experientia talem effectum sibi contingere solere, v. g. se in ebrietate blasphemare, turpiter loqui, rixari etc.

371. Innui tamen sufficere si malus effectus vel eiusdem periculum praevideatur *in confuso*. Casus esset si malum praevisum fuisset in genere atque indeterminatim, prout si pater praevideret, ex negligentia sua circa educationem, filios peccata (quin sciat qualia) esse commissuros.

372. Denique est bene notandum quod reatus in causa apud Deum et in conscientia contrahitur dum ponitur causa, non vero dum sequitur effectus. Reatus itaque subsistere potest quamvis effectus casu aliquo non subsequeretur, aut quamvis (dum effectus sequitur) homo poenitentiam egisset et in gratia Dei esset. Hoc tamen non impedit quominus peccatum ab effectu denominetur, et effectus ipse vere voluntarius (voluntate illa antecedenti) dici debeat.

Ex hoc tamen non isferes quod, accusata culpabili appositione causae, effectus quoque sit semper materia necessaria confessionis, vel inducat obligationem restitutionis etc.

373. *Quid de voluntario* ***positive*** *et de voluntario* ***negative?***

Positive aliquid erit voluntarium quando ex actione; negative vero quando ex omissione culpabili sequatur.

Inducit quis alium ad malum, instigando, impellendo etc. Hoc malum erit inducenti voluntarium positive. Pater non corrigit filium, qui proinde ad malum declinat. Hoc malum erit patri voluntarium negative.

374. *Quid de voluntario* ***directo et indirecto?***

Voluntarium directum et indirectum alii cum voluntario in se et voluntario in causa; alii vero cum positive et negative voluntario confundunt.

Haec itaque est quaestio de nomine; et dicerem distingui posse inter voluntarium *perfecte directum;* et *partim directum, partim indirectum.*

Voluntarium scilicet tum in se tum positive, esse perfecte directum (Gubernator navis, v. g. illam in syrtes coniicit ut naufragium faciat).

Voluntarium in causa dumtaxat simulque negative dumtaxat, esse perfecte indirectum (Gubernator navis, v. g. desistit a gubernando ut iocis indulgeat, non vero ut naufragium accidat, quod tamen sequitur).

Voluntarium denique in se quidem sed negative, esse partim directum et partim indirectum (Gubernator navis, v. g. non proiiciendo illam in syrtes sed desistendo a gubernando, naufragium intendit).

375. *Quid de voluntario* ***actuali, virtuali, habituali et interpretativo?***

Voluntarium *actuale* est quod procedit a voluntatis actu, qui hic et nunc in se existit et comitatur actionem. Exemplum habes in sacerdote, qui, dum consecrat vel absolvit, non est distractus; sed illo ipso momento consecrandi vel absolvendi intentionem habet.

Voluntarium *virtuale* est quod procedit a voluntatis actu non hic et nunc (propter distractionem) in se existente, sed elicito in principio actionis, atque adeo in actione ipsa (quae tota volita fuit) virtualiter continuato. Exemplum habes in sacerdote qui consecraret vel absolveret distractus, et tunc ad consecrationem vel absolutionem ipsam minime attenderet.

Voluntarium *habituale* est quod dependet a voluntatis actu neque hic et nunc in se existente, neque continuato virtualiter in aliqua actione ab eodem actu imperata; sed simpliciter antea emisso et non retractato. Exemplum habes in sacerdote qui statuerit v. g. toto mense celebrare missas iuxta talem vel talem intentionem; missas autem celebraverit quin de eadem intentione amplius cogitaverit.

Voluntarium *interpretativum* contingit quando quis ita est animo dispositus ut talem vel talem rem vellet si de illa cogitaret. Exemplum habes in christifideli moribundo sensibus destituto, qui recipiendi Extremam Unctionem voluntatem interpretativam habet; item in patre, qui, si sciret filium male agere, contentus non esset; item in amico qui si rogaretur de tali vel tali re commodanda, consensurus esset etc.

Voluntarium istud ad implicitum (de quo infra) reduci docet Lehmkuhl (*I* 6): quatenus iam aliquando concepta fuerit voluntas generalis, v. g. satisfaciendi obligationibus omnibus boni christiani; vel arcendi mala omnia a propriis filiis; vel benefaciendi amicis etc.

At vero voluntarium interpretativum subsisteret quamvis de facto hae verisimiles intentiones generales nunquam efformatae fuissent.

376. *Quid de voluntate* ***expressa et praesumpta?*** Haec distinctio non respicit voluntatis existentiam, bene vero illius manifestationem; et locum habet praecipue quando quis ex aliena voluntate (expressa vel praesumpta) aliquid agit. Voluntas dicitur *expressa* quando verbis aut nutibus manifestata fuerit (Exemplum habes in iubente, consulente etc.). *Praesumpta* autem potest esse duobus modis, scilicet quando vel tacita vel interpretativa sit. *Tacita* dicitur quando non ex verbis; sed, vel ex silentio vel ex aliquo facto, realis et actualis consensus praesumatur. (Exemplum habes si quis iam a longo tempore, vidente et non contradicente Episcopo, confessiones audiret). *Interpretativa* autem dicitur quando de consensu non actuali, sed solum futuro et hypothetico (quatenus scilicet obtineretur si peteretur) ex indiciis sufficientibus praesumi debeat. Huiusmodi consensus interpretativus in quibusdam casibus quidem sufficere potest, sed non in omnibus: unde absolutio, quae daretur a simplici sacerdote, qui praesumeret Episcopum esse consensurum si rogaretur, invalida esset.

377. *Quid de vulgari adagio:* ***Qui tacet consentit?***

Haec quaestio locum habet non iam quando aliquis

tacet, sive quia loqui non póssit, sive quia nihil sciverit, sive quia de illa re nihil ei intersit; bene vero quando tacet dum loqui posset, et vel interrogatur, vel accusatur, vel utcumque agitur de re quae ad illum pertinet, ut puta, si Superior videret et taceret dum (attenta physica possibilitate) expresse corrigere, vel expresse permittere pesset.

His praenotatis, adagium *Qui tacet consentit,* verum est in aliquibus casibus, sed in multis aliis non. Hinc regula iuris in *VI n. 43* dicit: *Qui tacet consentire videtur;* sed alia *n. 44* dicit: *Is qui tacet non fatetur; sed nec utique negare videtur.*

Reapse sola taciturnitas *per se* nec consensum nec dissensum exprimit, qui enim tacet nihil dicit.

Manifestum est autem quod taciturnitas 1° aliquando nihil aliud est quam signum animi perplexi. 2° Saepe significat meram tolerantiam et patientiam, ut in creditore erga debitorem morosum. 3° Interdum provenit a prudentia dum correctio omitti vel differri debeat, ut facile contingit in patribus-familias aliisque superioribus 4° Potest quoque in iisdem esse effectus negligentiae, dum vident et tacent quando efficaciter corrigere possent atque deberent. 5° Nihil dico de illis qui tacent contra minas, quia secus mala maiora pertimescerent. In his itaque casibus adagium *Qui tacet consentit,* fallit omnino.

Quandonam itaque verificatur? Quando iam communi sensu silentium habetur pro consensu; idque contingere solet speciatim in sequentibus casibus. 1° Quando ex silentio sine consensu gravia mala sequerentur, ut puta, si Superior videret exerceri actus iurisdictionis necessariae pro valido simulque sine intentione illam conferendi taceret, unde iam invalide celebrarentur matrimonia, darentur absolutiones etc.; et ex hoc capite consensus certe intervenit toties quoties theologi dicunt adesse atque sufficere iurisdictionem tacitam, delegationem tacitam, dispensationem tacitam etc. 2° Quando consensus Superioris esset quidem necessarius pro solo licito, atque a theologis iure probaretur quod in talibus vel talibus circumstantiis sufficiat Superioris ipsius consensus tacitus. quod scilicet ille

videat et taceat, dum commode et efficaciter reclamare posset, atque (si iudicaret legem esse sustinendam) deberet. 3° In favorabilibus, pro quibus consensus difficile deerit (dicente Poeta: *Quis nisi mentis inops oblatum respuat aurum?*), dum acceptatio expressa subintelligi vel silentium cuidem verecundiae attribui possit. 4° Quando accusatus duorum criminum unum tantummodo negaret, et de alio prorsus taceret.

478. *Theologi faciunt etiam distinctionem inter* ***voluntarium voluntate propria, et voluntarium voluntate aliena.*** *Quid de distinctione ista?* Utique est consideranda: et voluntarium voluntate aliena contingit quando deficit quidem voluntarium personale: sed perinde est ac si adesset, quia voluntas aliena in casu supplere posset et vere suppleret. Exemplum habes in voluntate tutoris (pro pupillo), et praecipue in lege sive civili sive naturali, quae non raro (pro bono publico) supplet partiales defectus consensus, speciatim in contractibus, qui subinde valent quamvis errores intercesserint etc. prout infra (*n. 393*) melius explicabitur.

379. *Quid de voluntario* ***explicito et implicito?***

Explicitum contingit quando homo vult aliquid *distincte cognitum* et *in se*; implicitum vero quando vult aliquid sive in causa (iuxta dicta *n. 355*), sive cognitum solum in confuso, prout contingeret in acceptante officium, qui utique in officii ipsius obligationes omnes (etsi illas distincte in mente non habeat) consentit.

Si autem aliquid ne in confuso quidem cognitum fuerit (ut puta, si quis occideret clericum credendo occidere laicum); aut (supposita cognitione) non iam fuerit volitum, sed solum permissum (iuxta dicta *l. c.*), tunc (quoad partem sic incognitam vel simpliciter permissam) voluntarium implicitum minime aderit. Interdum tamen adesse posset voluntarium voluntate legis, v. g. quoad circumstantias accidentales, quae in aliquo contractu prorsus ignoratae fuissent (iuxta infra dicenda *n. 393*).

380. *Quid de* ***involuntario?***

Circa involuntarium notari debet quod tale esse potest duplici modo: scilicet contrarie, et negative. Involuntarium

contrarie contingit quando voluntas est contraria, illudque subsequitur tristitia, ut puta, si quis occidat amicum credendo occidere inimicum.

Si autem voluntas, etsi non adesset, tamen contraria non foret; tunc involuntarium *negative* contingeret; ut puta, si quis, credendo occidere canem, leporem occideret; aut errando in via, latrones effugeret, aut, tales vel tales numeros per errorem publicae sortitioni exponendo, victoriam assequeretur etc.

ARTICULUS III.

Quaenam voluntario et libero opponuntur.

381. Opponuntur 1° ignorantia; 2° concupiscentia; 3° habitus; 4° coactio, et speciatim vis et metus. Ita theologi; sed, meo sensu, addendus est etiam status in quo persona plus vel minus usu rationis ex impedimentis cerebralibus privetur.

PUNCTUM I.

De ignorantia.

382. ***Quo sensu*** *hic accipitur ignorantia?*

Lato sensu; nomine enim ignorantiae hic comprehenditur etiam nescientia, oblivio, inadvertentia; et quidem extenditur etiam ad casum in quo cum suspectu de contrario vel cum dubio vel cum errore coniungatur.

Haec omnia conveniunt quatenus defectum praesentis cognitionis seu scientiae includunt; sed differunt quia *ignorantia* (proprie loquendo) supponit defectum scientiae quae nunquam habita fuerit sed haberi debuisset (et proinde ignorantia ipsa peccatum formale aut materiale constituit); *nescientia* autem supponit defectum scientiae quam quis habere non tenetur (ut puta, si vir rudis difficiliora et minutiora, quae ad theologos spectant, nesciat); *oblivio* supponit habitualem aut saltem aliqualiter permanentem defectum scientiae, quae olim habebatur; *inadvertentia* supponit scientiae, quae habitualiter habetur, defectum transitorium: dum, aliquid agitur (scit, v. g. quis mendacium esse illicitum, sed ad hoc non advertens mentitur).

383. *Explica quomodo ignorantia* ***cum dubio aut cum errore coniungi possit?*** Ignorantia (intellige semper lato sensu) 1° coniungitur *cum dubio vel suspectu*, quando quis ignorat an aliquid sit licitum vel illicitum, et proinde (sive quia rationes non sint evidentes, sive quia reflectet non satis rem considerasse, vel non satis se esse ad iudicandum competentem, vel temere procesisse etc.) dubitat vel suspicatur. 2° Coniungitur *cum errore*, quando quis iudicium falsum ita efformat, ut cum firma persuasione credat v. g. esse licitum quod revera illicitum est.

384. *Quaenam sunt praecipuae* ***divisiones*** *ignorantiae?* Ignorantia potest esse 1° *iuris*, aut *facti*, aut *poenae*. 2° *Invincibilis* et *vincibilis*. 3° *Antecedens*, *consequens* et *concomitans*. 4° *Habitualis* et *casualis*. 5° *Totalis* et *partialis*. 6° *Substantialis* et *accidentalis*. De his aliquid dictum fuit supra *n. 139 et sqq.*; sed hic sunt melius explicanda.

385. *Quid est ignorantia* ***iuris, facti, poenae?***

Est *iuris* quando versatur circa ius, quando scilicet quis ignorat talem vel talem legem subsistere; vel legem quidem cognoscit, sed ignorat quemdam casum sub illa comprehendi, (credendo, v. g. licitum esse mentiri ad salvandum aliquem a morte).

Est *facti*, quando versatur circa factum, quando scilicet quis ex mero errore facti credit se non peccare contra legem quam cognoscit (ut puta, si manducaret carnes die Veneris credendo esse diem Iovis).

Est *poenae*, quando versatur circa poenam, quando v. g. ignorat censuram, quae tali vel tali delicto infligitur.

386. *Quid est ignorantia* ***vincibilis,*** *et quomodo dividitur?*

I. Ad constituendam ignorantiam vincibilem, oportet semper ut in mentem venerit dubium et cogitatio de possibilitate inquisitionum, quae (ut culpa vel poena evitetur) proportionatae esse debent.

Dico *proportionatae;* aliud enim est si circa solam poenam (v. g. an adsit censura), et aliud si circa licitum vel illicitum ignorantia versetur; et quoad ipsum licitum magnae differentiae esse possunt; aliud enim esset v. g.

si de periculo occidendi hominem, aliud vero si de periculo occidendi canem ageretur.

II. Si haec ignorantia cum dubio coniuncta versetur circa licitum vel illicitum, ut sit vincibilis, non sufficit ut de sola possibilitate inquisitionum, sed exigitur ut etiam *de earundem obligatione*, cogitatio in mentem venerit, Qui enim, suborto dubio et cognita etiam possibilitate inquisitionum, bona fide crederet dubium sperni posse, et se non teneri ad inquirendum (vel satis inquisivisse, etsi de facto non satis inquisivisset); tunc etiam ignorantia (propter huiusmodi persuasionem) vincibilis minime foret. Sic itaque, quando agitur de licito vel illicito, ut ignorantia dici possit vincibilis; culpa et mala fides semper exigitur.

Dixi quando agitur de licito vel illicito; si enim ageretur *de poena;* cogitatio solius possibilitatis inquisitionum ad illam incurrendam sufficeret.

III. Quando quis, cognita possibilitate vel obligatione inquisitiones faciendi, illas non facit, sic se gerere potest vel 1° ex negligentia et pigritia, vel 2° ex affectu ad ignorantiam ipsam, quatenus scilicet (v. g. ad censuram non detegendam, vel ad prosequendum in re proposita cum minori remorsu) veritatem detegere non vult; et hac de causa v. g. consilium non petit, ab Ecclesia et concionibus fugit etc.

In hoc secundo casu ignorantia est directe et studiose quaesita, atque *affectata* (ut alibi dixi) appellatur.

In primo casu autem ignorantia est indirecte volita, et duplicis generis esse potest. Si enim negligentia fuerit talis ac tanta atque adeo inexcusabilis, ut quis nullam vel fere nullam, ad veritatem detegendam, curam adhibuerit, dum facillime illam detegere potuisset et sic negligentissimus fuisset; tunc locum habet ignorantia illa, quae *crassa et supina* dici solet (Cf. Sanchez *De matr. IX.* XXXII *33*); si vero curam quidem adhibuisset, sed non sufficientem et sic communi modo negligens fuisset; aut si ab inquisitionibus faciendis prorsus quidem abstinuisset, sed quia istae difficiles aut paullo difficiliores evasurae fuissent; tunc ignorantia *simpliciter vincibilis* appellatur.

387. *Quid est ignorantia* ***invincibilis?*** Tripliciter contingere potest 1° Si nullum de malitia dubium subierit,

vel si ita subierit ut obligatio abstinendi ab actu antequam tales vel tales inquisitiones praecesserint cognita non fuerit. 2° Si inquisitiones proportionatae praestitae fuerint, sed istae ad errorem inculpabilem firma persuasione duxerint. (Casum habes in dubitante an res quam accipere vult sit sua, et inquisitionibus factis persuasus remanserit esse suam, dum revera aliena erat). 3° Si, non obstantibus inquisitionibus, dubium vinci nequeat. Hic tertius modus est valde diversus a duobus primis, et haec diversitas probe attendi debet propter consequentias ut mox infra *n. 391* explicabitur.

388. *Quid est ignorantia* ***concomitans, antecedens et consequens?***

Ignorantia aliquando est causa actus (qui, ignorantia seclusa, non poneretur), et aliquando non (quatenus, ignorantia quoque seclusa, actus eodem modo poneretur). Si non sit causa actus, tunc dicitur *concomitans*. Exemplum habes in occidente inimicum credendo occidere feram, dum si inimicum esse cognovisset, illum pariter occisurus fuisset.

Si autem sit causa actus, tunc duplici modo sic esse potest.

Primus modus est si nullatenus voluntaria fuerit, et tunc dicitur *antecedens* (quia quemlibet voluntatis actum antecedit), atque cum ignorantia invincibili confunditur. Exemplum habes in eo qui, firmiter credendo occidere feram, occidisset hominem, quem, errore detecto, nunquam occisurus fuisset.

Secundus est si aliqualiter voluntaria fuerit, et tunc dicitur *consequens* (quia voluntatis actum subsequitur), atque confunditur cum ignorantia vincibili. Exemplum habes in eo, qui volens occidere feram, dubitando de periculo errandi et occidendi hominem, atque adeo reflectendo ad obligationem inquisitiones casui proportionatas faciendi, illas non fecisset, hominemque revera occidisset: illum tamen non occisurus si veritatem cognovisset.

389. *Quaenam est ignorantia* ***habitualis,*** *quaenam* ***casualis,*** *quaenam* ***totalis,*** *quaenam* ***partialis,*** *quaenam* ***substantialis*** *et quaenam* ***accidentalis?***

Habitualis versatur circa ea, quae habitualiter et se-

cundum omne tempus sciri debent, cuiusmodi sunt mandata Dei et Ecclesiae, necnon munera proprii status.

Casualis versatur circa casum particularem, ut puta, si quis hodie esse vigiliam ignoraret; vel, dum tegulas e tecto in viam deiicit, hominem illo momento transire non reflecteret.

Totalis contingit quando actus malitia totaliter ignoratur, ut puta, si quis surriperet rem alienam credendo esse suam.

390. *Partialis* e contra contingit quando actus malitia ex parte cognoscitur et ex parte ignoratur, ut puta, si surriperet rem sciendo esse alienam sed, ignorando esse sacram.

Substantialis est si rei substantia ignoratur, ut puta, si quis emat vitrum pro gemma, vel ducat Caiam pro Sempronia, vel contra Titium explodat sclopetum credendo esse vacuum illumque occidat.

Accidentalis est si circa qualitates vel circumstantias versetur, ut puta, si quis occideret hominem ignorando illum esse clericum, vel duceret Caiam ignorando illam esse improbam, pauperem, etc.

391. ***An ignorantia invincibilis tollat voluntarium, et excuset a culpa?***

Restringendo sermonem ad illud praecise ad quod ignorantia refertur (Cf. *n. 390*), et supponendo quod ignorantia sit invincibilis sensu indicato in primis duobus casibus supra expressis (*n. 387*), quod scilicet nullum dubium subierit vel inquisitiones ad errorem cum firma persuasione coniunctum duxerint; utique ignorantia huiusmodi (sive sit iuris sive facti) tollit prorsus voluntarium; quandoquidem *nil volitum quin praecognitum*. De hoc nemo dubitat. Quis enim dixerit, v. g. voluntariam esse occisionem hominis, dum quis credebat occidere feram, et quidem ita ut hominem occidendi periculum nullo modo perspexerit? Aut quis dixerit peccatum bona prorsus fide mentientis ad salvandum a morte innocentem esse voluntarium? Porro in primo casu occisio quidem, sed non occisio hominis; in secundo autem mendacium quidem, sed non peccatum, voluntati adscribi potest. Quod autem illa

quae ex ignorantia invincibili accidunt peccatum formale non involvant, manifestum est; deficiente enim voluntario tum in se tum in causa, quomodo culpa adesse posset? Et confirmatur ex damnatione sequentium propositionum: « In- « fidelitas pure negativa in illis, quibus Christus non est « praedicatus, peccatum est » (*Prop. 68 Baii*) « Tametsi « detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu « naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato « formali » (*Prop. 2* damn. ab Alex. VIII). Hinc Augustinus (*De ver. Rel. XIV 27*) scripsit: « Usque adeo « peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit « peccatum (formale) si non sit voluntarium. Et hoc qui- « dem ita manifestum est, ut nulla hic Doctorum pau- « citas, nulla indoctorum turba dissentiat ».

Quod vero haec doctrina restringi debeat ad praedictos duos casus, neque extendi debeat ad tertium, in quo inquisitiones dubium vincere nequeant; patet quia tunc ignorantia invincibilis stat simul cum cognitione periculi inordinationem committendi, et proinde efficere potest ut talis periculi aditio culpabilis sit. Dixi *efficere potest;* distinctiones enim tunc quoque necessariae sunt, ut infra melius declarabitur.

392. *An ignorantia* ***invincibilis tollat voluntarium etiam quando sit concomitans?***

Affirmative; unde scripsit Suarez (*De vol. et lib. I.* IV *4*): « Si quis omnino ignorans casu occidisset inimicum, « ita tamen esset dispositus, quod si sciret esse inimicum, « facilius occideret, non propterea illa actio censetur illi « voluntaria ». Ratio est quia, quamvis ille antea concepisset voluntatem occidendi inimicum (atque ideo tunc peccasset), tamen talis voluntas non fuisset causa praesentis occisionis, dum volebat occidere feram.

Idque verum esset quamvis actu ipso voluntatem occidendi alia vice inimicum renovasset. Cf. Ballerini (*Op. th. I.* III *83-87*).

393. *An ignorantia invincibilis tollat voluntarium etiam quando non circa rei substantiam, sed circa qualitates aut circumstantias accidentales versatur?* Quando agitur de licito vel illicito, certe qui consentit in substantiam, non ideo consentit etiam in qualitates aut circum-

stantias accidentales quas ignorat: unde, v. g. qui percutit hominem ignorando illum esse suum consanguineum vel benefactorem, voluntarie quidem contra iustitiam, sed non contra pietatem vel gratitudinem peccat. Sed quid si non de licito vel illicito sed de valido agatur? Ordinarie ipsum ius naturae (pro communi bono) exigit ut errores accidentales actuum validitati minime obstent, prout accidit in contractibus; idque quamvis cognita veritate consensus praestitus non fuisset; unde rectissime scripsit S. Ligorius (*III 715*): « Iure naturali ad contractum validandum sufficit animus voluntarius quoad substantiam, « licet sit involuntarius quoad accidentia ». Et pro hoc defectu supplet voluntarium voluntate aliena (nempe saltem voluntate Dei). Recole supra dicta (*n. 478*).

394. *Sed quid de ignorantia* ***vincibili?*** *Estne ipsa quoque expers a culpa? Tollitne ipsa quoque voluntariam in suis effectibus?* Negative ad utrumque.

I. Quod enim ipsa in se non sit expers a culpa, patet in terminis ab eiusdem definitione; contingit quippe quando quis obligationem addiscendi vel inquirendi animadvertit, et nihilominus addiscere vel inquirere non vult. Notandum autem quod ratio huius culpae est periculum; unde culpa aderit sive mali effectus sequantur, sive non.

II. Quod autem huiusmodi mali effectus (si sequantur) voluntarii sint, patet quia in iisdem voluntarium in causa subsistit; homo enim illos (sive distincte sive in confuso) praevidebat, atque (ignorantiam depellendo vel inquisitiones faciendo) ab iisdem praecavere debebat. Hinc ipsae leges civiles delicta etiam quae in ebrietate, vel ex incautela, vel ex ignorantia sive legis, sive rerum proprii officii (v. g. pharmacopolae, architecti etc.), committuntur, puniunt.

395. *Culpa et reatus acciditne quando quis advertit ignorantiam esse depellendam, eamque non depellit; an vero etiam quando sequitur effectus?*

Accidit certe quando ignorantia non depellitur; an autem subsistat etiam quando sequitur effectus, distinguendum est.

Interdum homo advertit ad obligationem ignorantiam depellendi eo ipso momento quo ad actum procedit, et tunc,

inquisitiones non faciendo atque ad actum temere procedendo, utique culpam et reatum contrahit etiam dum sequitur effectus (qui in actu ipso consistit); ut puta, si quis conspiciendo periculum occidendi hominem pro fera, sclopetum explodat et reapse hominem occidat.

Interdum e contra, dum homo procedit ad actum, bene se gerere (bona prorsus fide) existimat, etsi ex ignorantia (quae olim culpabilis fuit) reapse male faciat. Exemplum habes in medico, qui artem suam exercere coeperit probe sciens se in gravi ignorantia versari; sed nunc in tali vel tali casu particulari (sive quia ad suam ignorantiam non reflectat, sive quia pro illo modicam scientiam sufficere existimet, sive denique quia necessitas urgeat etc.) bona fide remedia applicet, quae salutaria esse credat, sed reapse noxia sint. Tunc profecto reatus et culpa, non quando sequitur effectus, interveniret; bene vero quando prius in debita scientia comparanda negligenter processit, locum habuisset.

Hic tamen malus effectus, etsi hic et nunc a culpa immunis sit, nec materiam necessariam confessionis constituat, tamen imputabilis remanet quatenus, etsi non sit voluntarius voluntate praesenti, tamen voluntate antecedenti, quae illius causam posuit, voluntarius est. Neque repugnat quod hoc sensu malus effectus imputari possit ei, qui, quando sequitur, nihil mali faciat; nonne enim homicidium imputaretur occisori, quamvis ille, quando mors sequitur, dormiret; imo et quamvis poenitentia ductus delictum suum flevisset de eoque prius confessus fuisset?

396. *Quid de gradu diligentiae, ad quam quis obligatur ad ignorantiam depellendam, ut haec vincibilis et culpabilis amplius dici nequeat?*

Evitanda est hoc in puncto rigidissima atque intolerabilis doctrina eorum, qui dicebant ignorantiam remanere semper vincibilem quando superest aliqua possibilitas (etsi solum remotissima) errandi atque veritatem detegendi; et neminem scire posse ne forte propria indignitas, defectus orationis etc. divinae illuminationi obicem ponant; unde concludebant mensuram diligentiae practice assignari non posse, hominemque semper formidare debere, ne ex ignorantia vincibili procedat, Deoque rationem reddere debeat. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* III *64*).

Vera doctrina est *sufficere diligentiam moralem,* illa scilicet quae iudicio prudentum vel communi praxi suffi-

cere censetur, ut (etsi forte erroris timor remanere possit) ad actum precedere liceat. Haec autem diligentia non unum gradum habet, sed debet esse *proportionata*, et modo maior exigitur, modo minor sufficit, iuxta diversam casuum gravitatem aliasque circumstantias. Sic v. g. ad non errandum maiorem circumspectionem habere debet iudex si agatur de sententia capitali, quam si de brevi carcere; item medicus si agatur de morbo gravi, quam si de levi adustione in digito. Generatim autem pericula remotissima sperni possunt; quis enim dixerit quod iter faciens in curru nocturno tempore teneatur mittere aliquem qui viam perlustret, ne forte ebrius in via ipsa iacens rotis conteratur?

397. *An ignorantia vincibilis, quae (ut vidimus n. 394)* ***voluntarium*** *non tollit, illud tamen* ***minuat?*** *Et proinde an peccans ex ignorantia vincibili, minus sit reus quam si ex certa scientia peccaret?*

R. Per se loquendo et caeteris paribus, ignorantia quamvis sit vincibilis minuit voluntarium, atque efficit ut culpa sit minor; patet enim primo intuitu quod maior est perversitas illius qui iam certe cognoscit se inordinationem committere, quam alterius qui de illa periculum tantummodo conspicit, et, veluti confidens illam non intervenire, ita est animo comparatus ut, si inordinationem certe cognosceret, ab actu (vel omissione) abstineret. Et profecto in hoc secundo casu minus cognoscitur malum, minusque tenditur in malum, valdeque minus lex contemnitur. Aliqui dicunt doctrinam istam ad ignorantiam affectatam extendi non posse; sed hoc mihi clarum non est; eaedem enim rationes (etsi non totaliter) pro illa quoque vigent.

Dixi *per se loquendo et caeteris paribus;* si nempe unicum peccatum ex ignorantia vincibili commissum cum unico et aequali peccato ex certa scientia perpetrato (quin aliae circumstantiae superaddantur) comparetur. Secus enim bene contingere potest quod malitia peccantis ex ignorantia vincibili (speciatim crassa et supina, maxime vero affectata) sit maior. Quid enim si ignorantia illa esset causa multorum malorum, ut in medico? Equidem tunc longe minus peccare posset alter, qui ex certa scientia peccatum

aliquod aliis non damnosum committeret. Item reatus non minueretur si quis peccaret quidem cum ignorantia, sed non ex ignorantia, dum scilicet ita animo comparatus esset, ut peccatum etiam certe cognitum commissurus foret. Augeretur insuper reatus si quis inquirere negligeret quia legem et legislatorem positive contemneret et flocci faceret. Cf. Ballerini (*l. c. 90. 93).*

398. *Quid exigitur ut reatus ignorantiae vincibilis et culpabilis sit* ***gravis?*** Praescindendo a conscientia erronea, duo exiguntur.

Exigitur I. Ut studium vel circumspectio vere adhiberi debeat sub gravi; quid enim si inordinatio, de qua adest periculum, levis momenti foret, ita ut, etsi certe cognosceretur, peccatum mortale minime constituere posset, ut puta, si quis nonnihil erraret in officio, eo quod inspicere kalendarium eum pigeret? Oportet itaque ut de re gravis momenti agatur. Sic sub gravi tenetur unusquisque studium adhibere ut addiscat catechismum et ea quae pertinent ad munera proprii status, v. g. parochi, episcopi, confessarii, iudicis, medici, notarii etc.; ex ignorantia enim in rebus huiusmodi mala gravia, et subinde gravissima, subsecutura essent. Sub gravi pariter adhibenda esset circumspectio si hic et nunc alicuius gravis mali (v. g. inferendi grave scandalum vel temporale damnum proximo in vita vel honore vel bonis fortunae) periculum adesset. Sed ad gravem culpam constituendam non semper sufficit ut sub gravi studium vel circumspectio adhiberi debeat.

Hinc exigitur II. Ut negligentia, attentis circumstantiis, tamquam gravis et sufficiens ad mortale iudicari debeat; etsi enim ageretur de rebus gravibus (quae sub gravi diligentiam exposcant) negligentia posset esse ita levis, ut (quamvis grave malum reapse sequeretur) ad gravem culpam minime sufficeret. Exemplum habes in levi negligentia in addiscendo catechismo etc., vel in levi defectu circumspectionis in curando infirmo, vel in causa examinanda ante sententiam etc. Cf. Ballerini (*l. c. 94. 95*).

399. *Reatus itaque ignorantiae culpabilis debetne aestimari iuxta effectum secutum?* Negative; contingere enim potest quod nullus malus effectus acciderit, et nihilo-

minus ignorantia graviter vel gravissime culpabilis fuerit; et e contra quod malum gravissimum secutum fuerit, et nihilominus ignorantia vel inconsideratio levis et venialis prorsus extiterit. Gradus itaque reatus non a gradu mali effectus, sed a gradu malitiae in negligentia vel incautela antecedenti aestimari debet. Ex hac autem doctrina sumenda est regula pro accusandis in confessione huiusmodi peccatis. Sic, v. g. medicus si diceret: *culpâ meâ mortuus est homo*, sufficienter quidem se accusaret si solum defectum circumspectionis in illo casu particulari (non examinando naturam morbi etc.); non vero si etiam antecedentem ignorantiam culpabilem, quae multorum similium casuum poterat esse causa, adhuc accusare deberet.

400. *Daturne ignorantia invincibilis* ***circa praecepta iuris naturalis?*** Affirmative (ut dixi supra *n. 140*); sed de re ista diffusiori sermone opportunius agam in *Theol. mor.* (*Vol. V n. 326*).

401. *Quid scire teneantur ii qui publica officia, v. g. parochi, confessarii, medici etc. exercent vel exercere volunt?*

Regula est ut sciant de ordinariis prompte iudicare, et de extraordinariis saltem dubitare, ut occurrente casu studium speciale adhibeant vel consilium petant.

Haec tamen melius declarabuntur in *Theol. mor.* (*Vol. IV n. 227*) ubi de officiis particularibus sermo habebitur.

PUNCTUM II.

De concupiscentia.

402. ***Quid est*** *concupiscentia?*

Est *motus appetitus sensitivi*, qui tendit ad bonum sensibile (quod nempe cadit sub sensibus vel imaginatione) assequendum (cuiusmodi essent delectationes venereae, divitiae, gloria etc.), vel ad malum sensibile (v. g. dolorem, paupertatem, infamiam etc.) vitandum.

Concupiscentia itaque non est motus rationis, bene vero passionis, scilicet appetitus irrationalis, qui ut plurimum, et maxime si agatur de luxuria vel ira, cum alteratione corporis coniungitur.

Huiusmodi tamen motus bonus vel malus esse potest, secundum quod praedictum bonum vel malum sensibile tamquam verum bonum aut verum malum a ratione quoque iudicandum vel non iudicandum sit. Exemplum habes in appetitu cibi, rei venereae, vindictae etc., qui bonus vel malus esse potest etc.

Hinc concupiscentia non solum in rebus peccaminosis (quo casu *fomes peccati* dicitur), sed etiam in rebus licitis et virtuosis intervenire potest.

403. ***Quotuplex est concupiscentia?***

Alia est *antecedens* et alia *consequens*.

Dicitur antecedens quando est involuntaria et praecedit quemlibet consensum peccaminosum; quod contingit 1° si absque ulla advertentia incoeperit et perduraverit; 2° si advertentia quidem adfuerit, sed voluntas in culpa non fuerit (esset autem in culpa sive consentiendo sive negligentiam adhibendo).

E contra dicitur *consequens* quando est voluntaria; quod etiam duobus modis contingere potest. Primus est si post deliberationem committendi delictum concupiscentia sponte sua et *naturaliter* excitetur vel adaugeatur. Secundus est si concupiscentia ipsa non sic naturaliter sed *studiose* excitata vel adaucta fuerit; si nempe voluntas id procuret, sive ut exinde maior delectatio capiatur, sive ut facilius, citius etc. propositum ad effectum deducatur. Iuxta secundum modum concupiscentia est directe intenta; non item iuxta primum.

Exempla. Titius statuit epulari et epulando gulositas excitatur vel sponte sua, vel quia ad illam excitandam parat cibos exquisitos, cogitat de illis, loquitur de illis etc.

Caius occidere vult inimicum, et iracundia in illo excitatur sive naturaliter, sive quia studiose procurat illam accendere, rixam instituit etc.

404. *Quid de* ***concupiscentia relate ad voluntarium*** *et reatum?* Hoc in puncto aliud dici debet si concupiscentia sit antecedens, et aliud si sit consequens.

405. *Quid itaque si concupiscentia sit* ***antecedens?*** Si sit vehemehens, voluntarium et reatum 1° minuit; 2° aliquando tollit; 3° ordinarie non tollit.

406. *Quomodo probatur quod vehemens concupiscentia antecedens voluntarium et reatum* ***minuit?***

Probatur 1° quia impedit considerationem; anima enim magnopere absorpta passione plus vel minus impedita remanet ne alias functiones, et proinde reflexionem et rationem, exerceat; unde dicere solemus quod passiones excoecant, lumen oculorum tollunt, velum rationi obducunt, atque efficiunt ut homo nesciat quid faciat.

Insuper voluntas tunc versatur in conspectu difficultatis maioris, quam proinde difficilius superare poterit.

Denique passiones illa organa corporis, quae ad intelligentiae et liberi arbitrii exercitium (seu, uti dicunt, ad potentias directivas) deserviunt, plus vel minus turbant atque ad proprium officium minus apta (et aliquando prorsus inepta) reddunt; unde hominem (fere sine ulla directione liberis remanentibus passionibus) quasi ad statum bruti, vel ebrii, vel mentecapti reducere possunt.

S. Th. (*1. 2 q. 47 a. 1*) scripsit: « Cum omnes potentiae animae in « una essentia animae radicentur, necesse est quod, quando una potentia « intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totali- « ter impediatur; tum quia omnis virtus dispersa fit minor, unde e « contrario quando intenditur circa unum, minus potest ad alia dispergi; « tum quia in operibus animae requiritur quaedam intensio, quae dum « vehementer applicatur ad unum, non potest alteri vehementer attendere. « Et secundum hunc modum per quamdam distractionem, quando motus « appetitus sensitivi fortificatur secundum quamcumque passionem, necesse « est quod remittatur vel totaliter impediatur motus proprius appetitus « rationalis, qui est voluntas ». In opere *De malo* (*q. 3 a. 11*) subiunxit: « Passio obnubilat et ligat iudicium rationis ».

Et (*1. 2 q. 77 a 2*) dixit: « Per quamdam immutationem corpora- « lem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat, sicut « etiam somnus vel ebrietas, quadam corporali immutatione facta, ligat « (passio) usum rationis. Et quod hoc contingat in passionibus, patet ex « hoc quod aliquando, cum passiones multum intenduntur, homo amittit « totaliter usum rationis. Multi enim, propter abundantiam amoris et « irae, sunt in insaniam conversi ».

Hinc conclusit (*1. 2 q. 73 a. 6*): « Causae quae diminuunt iudicium « rationis, ... diminuunt peccatum, sicut diminuunt voluntarium ». Et (*1. 2 q. 6 a. 7 ad 3*): « Si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, « sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, seque- « retur quod concupiscentia voluntarium tolleret. Sed quandoque in his, « quae propter concupiscentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio ». Denique (*1. 2 q. 77 a. 6*): « Passio minuit peccatum, in quantum minuit « voluntarium ». Et *De malo* (*q. 3 a. 11 ad 3*): « Quanto passio fuerit « fartior impellens ad peccandum, tanto (peccatum) fit minus.

Oportet tamen ut agatur de concupiscentia vere antecedenti, involuntaria et inculpabili; quod bene notavit ipse D. Th. (*1. 2 q. 77 a 7*) inquiens: « Passio quandoque est tanta quod totaliter aufert usum rationis, « sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt; et tunc, si

« talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, « quia est voluntarius in sua causa, sicut de ebrietate (*in quâ ebrius blas-« phemet*) dictum est. Si vero causa non fuerit voluntaria sed naturalis, « puta, cum aliquis ex aegritudine vel aliqua huiusmodi causa incidit in « talem passionem, quae totaliter aufert usum rationis, actus omnino red-« ditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusatur. « Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum « rationis, et tunc ratio potest passionem excludere divertendo ad aliquas « cogitationes; vel impedire ne suum consequatur effectum....; unde talis « passio non totaliter excusat a peccato ».

Probatur 2° Ex legibus civilibus quae mitiores poenas applicare solent quando delictum in magno passionis aestu commissum fuerit. Hinc homicidium commissum in rixa minus punitur quam praemeditatum. Idem dic de abortu et infanticidio perpetrato ad salvandum honorem; vel si maritus uxorem et adulterum in flagranti repertos occidisset etc.

407. Equidem Rigoristae hanc doctrinam reiiciunt et dicunt quod concupiscentia (etiam antecedens), potius quam diminuat, auget voluntarium, quia tunc voluntatis obiectus vividius apprehenditur et ardentius appetitur.

Sed argumentum istud illusorium est; semper enim verum est quod, sub influxu magnae passionis, rationis iudicium turbatur et liberum arbitrium magnam vim patitur, eiusque indifferentia tollitur; unde libertas valde minuitur. Non autem tunc est ratio quae melius cognoscat, sed est sensus et imaginatio. Quod vero voluntas maiori propensione in obiectum feratur, provenit longe magis ab impulsu (quem subit a passione), quam ex vi et libertate propria. Unde concludendum quod maior illa apprehensio et propensio longe magis parti inferiori atque (ut ita dicam) brutali, quam parti superiori et rationali, seu rationi et voluntati (cuius ideo vis diminuitur), tribui debet.

408. *Quomodo probatur quod concupiscentia antecedens voluntarium et reatum* ***aliquando prorsus tollit?***

Quod aliquando (etsi raro) casus huiusmodi contingere possit, iam innui *num. 406*; sed melius explicatur, 1° quia dantur actus *primo-primi*, ita scilicet ut homo vehementissimo passionis aestu adeo subito accenditur, ut, antequam ratio deliberans occurrere et actum suspendere

potuerit, solo instinctu (seu solis viribus quas cum brutis communes habemus) ductus, ad actum ipsum procedat. 2° Contingere potest etiam quod homo, quin antecedenter et in causa ullo modo reus extiterit, passione vehementi ita afficiatur, ut nedum ad actum primo-primum, sed etiam ad dementiae, vel monomaniae, vel (ut vulgo dicitur) *fixationis* libertatem tollentis, statum plus vel minus duraturum transeat; ut patet ex verbis S. Thom. supra allatis. 3° Contingere potest denique quod homo (etsi sui compos) cognoscat quidem id quod facit, sed (speciatim in rebus subitis, et maxime si sit de illis qui ex indole nervosa vel irreflexiva citissime et absque ponderatione se determinant) ad actus malitiam non advertat. Hoc notavit S. Ligorius, qui (*V. 3*) scripsit: « Potest autem intellectus rapi a « delectabilitate obiecti oblati, ut nihil malitiae moralis in « illo advertat ».

Haec bene notent confessarii, ne aliquas miseras animas in desperationem coniiciant.

409. *Quomodo probatur quod concupiscentia antecedens voluntarium et reatum* **ordinarie non tollit?**

Probatur 1° Quia ordinarie nec de actu primo-primo, nec de transitu ad statum dementiae agitur, nec demum sufficiens malitiae advertentia deficit; non obstante enim vehementi passionis aestu, remorsus delinquentem (et quidem quam maxime, speciatim si agatur de delictis quae magnum impressionem faciunt et non sine aliqua temporis mora complentur) exagitare, et quasi clamore magno rationem (ut statim accurrat) advocare, simulque voluntatem a consensu deterrere solet.

Probatur 2° Quia secus delicta fere omnia excusare et tamquam a quovis reatu immunia habere deberemus (et quidem tanto magis quanto enormiora); quod est contra sensum communem, et contra omnes leges, quae in magna passione circumstantiam quidem attenuantem (ut supra dicebam), sed non gravitatem reatus tollentem, semper recognoverunt; unde doctrina de vi irresistibili (in personis quae sui conpotes sint) admitti non potest.

Hinc scripsit D. Th. (*1. 2. q. 77. a. 8*): « Hoc solummodo potest « contingere quod inclinatio animae in aliquo quod contrariatur ultimo fini « non sit peccatum mortale, quia ratio deliberans non potest accurrere,

« quod contingit *in subitis motibus*. Cum autem ex passione aliquis pro-
« cedit ad actum peccati vel ad consensum deliberatum, hoc *non fit subito*,
« unde ratio deliberans potest hic accurrere ; potest enim excludere vel
« saltem impedire passionem ; unde, si non accurrat, est peccatum mor-
« tale ; sicut videmus quod multa homicidia et multa adulteria per pas-
« sionem committuntur ».

410. *Quid de concupiscentia* **consequente?** *Imminuitne ipsa quoque voluntarium et reatum?*

Praenotandum (cum Lehmkuhl *I. 21*) quod concupiscentia consequens saepe est *non mere talis*, bene vero est continuatio concupiscentiae antecedentis ; et quamvis evaserit consequens et voluntaria, hoc accidit ex voluntate quae a vehementi concupiscentia praecedenti pressionem iam subiit, et proinde minus voluntaria est. Exemplum habes in eo qui magno irae et vindictae aestu commotus in tentationem venerit occidendi inimicum (*en concupiscentia antecedens*). Advertens autem obligationem sedandi hunc motum perversum et reiiciendi tentationem, voluntarie negligit id facere, vel etiam se determinat ad inimicum ipsum, data opportunitate, occidendum (*en actus voluntatis elicitus sub pressione concupiscentiae antecedentis*). Continuat deinde vel crescit ira et vindictae appetitus (*en concupiscentia consequens, sed non mere talis, et quae potius est continuatio concupiscentiae antecedentis*). Sub hoc respectu concupiscentia consequens est voluntaria quidem, sed diminute ; unde parum differt ab antecedente, atque adeo in delicto, quod forte sequatur, voluntarium ac reatum imminuere pergit.

411. Interdum e contra concupiscentia consequens est *mere talis ;* idque contingit quando quis, nulla aut levi concupiscentia ductus, se determinat ad delictum committendum, et deinde, concupiscentiâ sive naturaliter sive studiose subortâ vel auctâ, delictum consummat. In hoc casu concupiscentia voluntarium et reatum non imminuit ; et hac de re bene scripsit Tongiorgi (*Eth. n. 120*) : « Licet concupiscentia consequens ita deinde effervescat,
« ut etiam rationis usum impediat, nihilominus de volun-
« tarii ratione nihil imminuit : imo quidquid ex eius in-
« fluxu tunc fit, voluntarium in causa censendum est ». Si autem homo sui compos (prout ordinarie contingit)

remaneret, tunc concupiscentia consequens posset esse occasio ut voluntas ad novos magisque iniquos actus procedat, atque hoc sensu efficere ut voluntarium et reatus adaugeatur. Utcumque autem, quanta in voluntate fuerit magnitudo perversitatis, ipsa signum erit. Hinc D. Th. (*1. 2. q. 77. a. b*) scripsit: « Concupiscentia consequens « non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est « signum magnitudinis eius: in quantum scilicet demonstrat « intensionem voluntatis ad actum peccati ».

PUNCTUM III.

De habitu.

412. ***Quid est** habitus?* Agitur hic de pravo peccandi habitu, qui etiam mala consuetudo aut vitium appellari solet. Locum habet quando quis frequenter et faciliter idem peccatum committere solet. Tria itaque exiguntur: 1° ut agatur semper de peccato eiusdem speciei; 2° ut laspus sint frequentes; 3° ut homo (propter specialem inclinationem et pronitatem ex primis peccatis repetitis inductam) facile et prompte delinquat; donec enim quis cadat quidem (etiam frequenter), sed solum post seriam resistentiam, fragilis quidem (et in via ad habitum contrahendum), sed non adhuc habituatus (in rigore) dici posset.

413. *An habitus* ***tollere possit voluntarium?*** Affirmative. Ut tamen deficiat voluntarium, duo exiguntur; scilicet 1° ut quis, propter habitum contractum, materialiter tantum delinquat; 2° ut non sit reus in causa. Sed haec sunt explicanda.

414. ***Un deficiat voluntarium,*** *dixisti oportere imprimis ut quis propter habitum* ***materialiter tantum*** *delinquat. Sed potestne reapse id contingere in praxi?* Affirmative; et speciatim in blasphemiis, imprecationibus aliisque peccatis linguae. Multi ita sunt blasphemare assueti, ut iam blasphemiae in illis intercalare (quod saepissime sine actuali advertentia profertur) evaserint. Enimvero in praxi poenitentes interrogati an blasphemaverint

advertenter, ordinarie respondent negative, et solum postea animadvertisse, quando blasphemia iam prolata fuerat. Quidam, audiendo alium dicentem *per Deum*, illum corrigebat dicendo: *Noli blasphemare nomen sanctum Dei, per Deum!* Hoc admittunt etiam theologi cum S. Thoma, qui (*2. 2. XIII.* II. *ad 3*) dicit: « Blasphemia potest absque « deliberatione ex subreptione procedere, quod potest con- « tingere cum aliquis *subito* ex aliqua passione in verba « imaginata prorumpit, quorum significationem non con- « siderat ». Equidem id negat S. Lig. (*III 127, et Prax. II. 31*); sed alio loco (*De Act. hum. n. XIV*) idipsum admittit. Cf. Ballerini (*Op. Theol. Tr. VI Sect. II 27 et Comp. II 300 not. b*).

415. ***Ut deficiat voluntarium,*** *dixisti non sufficere ut quis ex habitu peccet materialiter, sed exigi etiam ut* ***non adsit reatus in causa.*** *Quandonam verificabitur quod reatus iste non adsit?* In duobus casibus, scilicet 1° Quando neque in habitu efformando, neque in negligenda illius emendatione, quis adverterit saltem in confuso se evadere reum malarum consequentiarum habitus pravi, nempe se peccare intuitu illarum. 2° Quando quis adverterit quidem antecedenter se ita peccare; sed nunc seria attentione serioque conatu procuret emendationem, et nihilominus aliquando materialiter peccet (v. g. inadvertenter blasphemet) Hoc secundum admittitur a S. Lig. (*De Act. hum. n. XIV*) dicente: « Excusatur a culpa (habituatus) si « adhibitis diligentiis inadvertenter blasphemat ». Quoad primum, posset obiici non esse possibile quod sive in efformando habitu, sive in negligenda emendatione, quis non adverterit ad consequentias et se reddere reum etiam peccatorum futurorum. At vero bene possibile est quod homo de hoc non cogitet, vel saltem gravem reatum in hoc non apprehendat, Homines apprehendunt quidem peccata quae committunt, sed (maxime si sint rudes) ad habitum, quem sic contrahunt etc., parum vel nihil reflectere solent. De efformatione habitus rectissime scripsit Ballerini (*Op. th. l. c. 25*): « In praxi vix reperies homines « ad hoc advertere, praesertim si a pueris incoeperint; « neque, si advertant, habent propositum ita frequentandi

« actum, ut consuetudo inducatur, sed sibi pollicentur « alias se non esse blasphematuros ». Et quoad reatum in negligenda emendatione subiunxit (*ibi n. 28*): « Diffi- « cile esse statuere quando gravis sit culpa, quoad eos « qui causam utique retractant, et conatum aliquem adhi- « bent, qui tamen non semper sit intensus ». Confessarii enim huiusmodi poenitentibus indicare quidem solent remedia, sed non addunt illa esse adhibenda ex stricta obligatione et maxime sub gravi; unde poenitentes de sola exhortatione ad modum consilii facile agi existimant. Equidem obligationes istae graves (et subinde gravissimae) in libris rectissime indicantur, sed reatus non in libris sed in hominum conscientia residet.

416. *Supposito vero reatu in causa, et suppositis peccatis sine actuali advertentia postea subsecutis, habituatus eritne reus de illis solis et de illis omnibus, ita ut in confessione debeat illa sola et illa omnia accusare?* Est reus iuxta apprehensionem, quam habuit dum causam posuit, et iuxta illam se accusare debet. Si apprehensio erat de peccatis multis, et postea revera fuerint pauca, non sufficit si de his paucis se accuset: si e contra apprehensio erat de paucis peccatis, sed revera fuerint multa (materialiter), haec multa accusare non tenebitur. Ita sensit etiam Ballerini, qui (*l. c. 25*) rotunde scripsit: « Inutile est a poenitente perconctari numerum horum « peccatorum seu actuum materialium ». Secus enim pater, qui ex defectu educationis est reus in causa de peccatis filiorum, de illis omnibus et singulis se accusare deberet (et idem dicendum esset de scandalosis etc.), quod equidem contra sensum communem est.

417. *An, quoad peccata non iam materialia sed formalia,* ***habitus minuat, vel augeat voluntarium?*** Distinguendum est inter habitum non voluntarium et voluntarium. Si peccata committantur ex habitu non voluntario, tunc habitus minuit voluntarium, quia homo sub vi habitus est minus liber, ut maxime patet in illo qui totis viribus ad habitum vincendum incumbit, et nihilominus (propter magnam difficultatem ex consuetudine inductam) misere cadit. Si autem habitus ipse sit voluntarius,

tunc non censetur minuere voluntarium; si quae enim tunc quoque sit libertatis imminutio, iam illa quoque voluntaria est. Cf. Suarez (*De vol. III.* III *16*).

PUNCTUM IV.

De coactione in genere.

418. ***Quid est*** *coactio?* Coactio *proprie dicta* contingit quando in impossibilitatem (physicam aut morâlem) aliter faciendi ab agente extrinseco redigitur aliquis prorsus invitus. Tria igitur ad veram coactionem constituendam exiguntur: 1° quod proveniat ab extrinseco; 2° quod inducat impossibilitatem aliter faciendi; 3° quod subiectus (sui compos) sit prorsus animo invitus, atque etiam externe (prouti potest) resistat et se liberare nitatur.

419. ***Quotuplex*** *est coactio?* Coactio potest esse 1° Proprie dicta et improprie dicta. 2° Physica et spiritualis. 3° Absoluta et non absoluta.

Proprie dicta est si cum definitione supra exposita perfecte concordet.

Improprie dicta est si de definitione eadem aliquid deficiat et nihilominus coactionis nomen adhiberi soleat, ut, puta 1° Si non proveniret ab extrinseco, sed quis (v. g. timens de seipso) semetipsum constringeret, vel (utcumque) in aliquam necessitatem se coniiceret. 2° Si quis non prorsus esset invitus, vel pro viribus reluctando se liberare posset idque non faceret (S. Lig. *V.* XVI), maxime vero si consentiret ut alter in impossibilitatem aliter faciendi illum redigeret.

Physica (seu corporalis) est quae immediate corpus; *spiritualis* vero quae immediate animam afficit. Utraque potest esse absoluta, et non absoluta.

Absoluta est si nullo modo; *non absoluta* si difficile vel difficillime evadi possit, unde impossibilitas moralis aliter faciendi constituatur vel immisceatur.

420. Exempla. Constringitur quis catenis. En coactio physica absoluta. — Apprehenditur foemina a viro, sed ita ut cum periculo mortis vel infamiae ab eiusdem ma-

nibus se subducere posset. En coactio physica quidem, sed mixta cum morali et non absoluta. — Cogitur quis prorsus (v. g. a Daemone) ut aliquid intelligat vel imaginetur. En coactio spiritualis absoluta. — Cogitur quis minis, aut precibus importunis, aut blanditiis vehementissime hallicientibus et continuatis, ut se resolvat ad aliquid promittendum, agendum etc. En coactio spiritualis non absoluta; quae dicitur etiam *coactio mere moralis*.

Coactio physica (sive absoluta sive non absoluta) dicitur *vis*. Coactio autem mere moralis, si a formidine mali proveniat, *metus* appellatur.

421. *An nedum corpus sed etiam voluntas cogi possit?*

R. I. Quod voluntas cogi possit *moraliter* (magnae scilicet reluctandi difficultati illam subiiciendo) affirmandum est, ut patet ex deliberationibus sub influxu metus gravis vet gravissimi elicitis. Cf. Suarez (*De Grat. III.* VIII *n. 16-17*).

II. An autem cogi possit *absolute*, inter coactionem directam et indirectam sequenti modo distinguendum est.

422. Voluntas *directe* cogi nequit absolute; homo scilicet, physicis cerebri alterationibus minime subiectus et facultate cognoscendi atque volendi humano modo pollens, actu quo cognoscit rem esse vetitam, ad illam volendam coactione absoluta seu vi irresistibili cogi non potest. Patet ex sequentibus rationibus. 1° Quod homo cogatur velle eodem praecise tempore quo non vult, est contradictio in terminis; vellet enim nolens, quod ne Deus quidem efficere potest. 2° Quod homo, qui rem malam prius nolebat aut negative se habebat, postea per vim irresistibilem illam velle cogatur, hoc etiam nec vi humana nec vi diabolica contingere potest. Patet ex iisdem rationibus quae supra adduxi de concupiscentia; patet scilicet imprimis ex sensu communi et ex remorsu conscientiae; non obstante enim quacumque diabolica tentatione violentissima, et non obstante quocumque terrore (etsi mors ipsa comminaretur) homo (donec, ut dixi, humano modo cognoscat rem esse vetitam) suae voluntatis dominus semper reputatur, et, si tentationi succumbat, aut terroribus cedat, semper vitu-

peratur, poenis civilibus (si quae statutae sint) subiicitur, et conscientiae remorsu pulsatur. Patet insuper ex necessitate publici boni; semel enim admissa absentia reatus propter vim irresistibilem, iam fraenum conscientiae magna ex parte (et quidem ubi magis exigeretur) non amplius subsisteret, et sic inordinationibus infinitis, maioribusque delictis aditus latissimus aperiretur.

423. E contra voluntas (etiam absolute) interdum cogi potest *indirecte*, ut ad actum humano modo volendi devenire nequeat; subtrahendo scilicet illa, quae ad volendum vel ad humano modo volendum necessaria sunt.

Hoc obtineri potest tum in homine sanae mentis, tum efficiendo ut homo sui compos amplius non sit.

In homine sanae mentis subtrahi possunt necessaria ad volendum, si, impediendo sive visum sive auditum, aut inducendo illum in errorem, efficiatur ut rem aliquam aut eiusdem malitiam cognoscere nequeat; unde iam absolute impossibile sit ut illam velit, aut eiusdem malitiae consentiat; nihil enim volitum quin praecognitum.

424. Daemon autem speciatim efficere potest ut homo sive habitualiter sive per intervalla sui compos esse desinat; inducendo scilicet physicam cerebri alterationem, quae duplicem effectum habere potest.

Primus est ablatio luminis intellectus seu usus rationis, inducendo hallucinationes, obliviones, delirium etc. D. Th. (*De malo III.* III *ad 9*) scripsit: « Daemones « facere possunt ut homines non discernant species a rebus, « in quantum (Deo permittente) perturbant interiores vi- « res sensitivas, quibus perturbatis, ligatur usus rationis, « quae indiget praedictis viribus ad actum suum » (1). Et S. Lig. (*Prax. n. 111*) cum Scaramelli dixit: « Si « (persona a Daemone coacta ad malum) dicat quod tunc « mens ei adeo obfuscatur, ut nihil (de actus malitia) co-

(1) Et (*1. 2 LXXX.* III) « Diabolus propria virtute, nisi refraenetur « a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem « actum, qui de suo genere peccatum est...., quod patet ex hoc quod « homo motivo ad peccandum non resistit nisi per rationem, cuius usum « totaliter (Diabolus) impedire potest..., sicut in arreptitiis (scilicet ener- « gumenis) patet ».

« gnoscat, neque experiatur conscientiae remorsum, immu-
« nis a peccato censeri poterit ».

Secundus effectus est impeditio liberi arbitrii, etsi cognitio aliquo modo remaneat. Scaramelli (*Direct. mist. V.* VII *68*) dicit, posse daemonem efficere « ut anima vel
« nequeat uti intellectu, vel *eo utendo* nequeat libere ope-
« rari »; et adducit auctoritatem Santii dicentis (*I Reg. XVIII*): « Experientia compertum est, idque a daemo-
« niacis saepe audivimus, interdum eos a daemonibus ita
« esse correptos, ut nihil norint aut sentiant; interdum
« *cum integris sensibus et rationis et mentis omnino com-*
« *potes* agitantur ita vehementer in rem aliquam indeco-
« ram et turpem, ut, quasi (essent) impotes sui, ferantur
« ad ea, quae animo proponuntur, praecipites.

425. Dixi *etsi cognitio aliquo modo remaneat;* quod enim hi auctores docent, stare posse defectum liberi arbitrii (et consequenter voluntatem necessario operantem) simul cum pleno usu rationis, id (inquam) mihi non placet. Bene vero admitterem defectum liberi arbitrii contingere posse, quando intellectus quoque defectum patitur, etsi, ut dixi, cognitio aliquo modo (scilicet modo non humano aut valde corrupto) remaneat. Sicut enim in bestiis, ita etiam in homine, vestigia quaedam iudicii et ratiocinii esse valent, etsi rationis usu proprie non gaudeat. Exemplum habemus in pueris, et in mentecaptis, qui subinde iudicant et ratiocinantur, etsi in ratiocinando nec perdurent nec connectant, et saepe iudicia falsa exprimant.

Notandum autem quod homo in huiusmodi statu quoque (scilicet etiam quando non est sui compos), aliquam malitiae cognitionem habere posse videtur; unde quis somniare potest esse illicitum id, quod reapse illicitum est. Quidam iam manifeste mentecaptus se in puteum coniicere volebat, et deprehensus atque increpatus a famulis respondit: Nunquid creditis me rem hanc facere velle, neque me timere peccatum et infernum? Sed, recedentibus famulis, in puteum se coniecit.

His praemissis circa coactionem in genere, nunc de metu et violentia, quae sunt principales coactionis species, in particulari agendum est.

PUNCTUM V.

Agitur in particulari de metu.

426. ***Quid est** metus, et quomodo **distinguitur a vi?***

Definiri solet: « Instantis vel futuri periculi causâ « mentis trepidatio ». Clarius definiri potest: Apprehensio periculi nos inclinans ad illud fugiendum.

Distinguitur a vi, quia vis corporis infertur, metus voluntati incutitur.

427. *Quaenam sunt principales metus **distinctiones?*** Metus potest esse 1° Gravis vel levis. 2° Ab intrinseco vel ab extrinseco. 3° Incussus ad hoc vel non incussus ad hoc. 4° Iustus vel iniustus. 5° Impellens vel concomitans. Aliae quoque adsunt distinctiones secundariae, ut statim videbimus.

428. *Quandonam metus dicitur **gravis vel levis?*** Dicitur gravis vel levis secundum quod persona multum vel non multum timet. Quia autem haec differentia modo ex diverso gradu mali et periculi, modo ex diversa dispositione subiecti, accidere potest; ideo in primo casu metus dicitur gravis vel levis *absolute,* et in secundo gravis vel levis *relative.*

429. *Quandonam ergo metus erit **gravis absolute, vel levis absolute?***

Erit *gravis absolute* quando persona multum timeat, simulque duo concurrant; scilicet 1° quod revera malum sit grave; 2° quod revera sit vel certum, vel timendum valde.

E contra erit *levis absolute* si persona parum timeat, quia vel malum sit leve, vel parum sit timendum.

430. *Quaenam sunt mala gravia, quae metui absolute gravi locum praebeant?*

Sunt v. g. mors, naufragium, mutilatio, grave vulnus, gravis morbus, gravia verbera, stuprum, carceratio, ablatio substantiarum (atque adeo incendium et incursus in latrones), amissio haereditatis debitae, amissio officii etc.

Venit deinde infamia; sed haec solet esse gravis absolute solum quando personae habenti bonam famam comminaretur propalatio rei valde probrosae (quae, pro viro gravi, aliquando etiam in mendacio vel in levi furto consistere posset) a qua se excusare nequiret. Aliud esset si ageretur de calumnia quae fidem non esset obtentura, vel cui de facili occurri valeret.

Metus gravis intervenire posset etiam si praedicta mala gravia non tibi sed tuis filiis, genitoribus, vel uxori, vel fratribus impenderent.

431. *Quid de* ***metu reverentiali?***

Consistit in timore habendi infensos genitores, vel maritum, vel dominos, aliosve superiores.

Ad constituendum metum istum, non oportet ut ab iisdem timeatur in particulari hoc vel illud malum, v. g. exhaeredatio, expulsio, verbera etc.; sed sufficit timor habendi illos infensos (ut dixi).

Metus reverentialis an sit gravis vel levis pendere solet a diuturnitate simul et gradu; si enim personae huiusmodi diu et graviter infensae futurae sint, quid quam maxime molestum et malum absolute grave censetur, saltem si cum iisdem in eadem domo et familia convivendum esset. Ageretur enim de malo, quod quovis momento renovaretur, imo (sive turbatio claudatur in corde sive foris effundatur) semper cresceret; nec lenimentum admitteret; ubinam enim consolatio si illi, a quibus expectari posset, infensi sunt?

432. *Explica enucleatius quando metus sit gravis non absolute sed* ***solum relative.*** Iam dixi esse talem quando malum vel non est grave, vel non facile eventurum erit, et nihilominus subiectus magnopere formidat. Hoc autem accidere potest ex errore, ex credulitate, vel ex indole formidolosa, imbecilli, et pusillanimi. Speciatim in mulieribus, pueris, et senibus, atque in illis qui timore panico facile laborant, casus iste verificatur.

433. *Quid est metus qui dicitur* ***cadere in virum constantem?***

Talis dicitur quando est gravis, sed ita ut absque ulla nota illi cedi possit. Idque sic explico.

Homo in conspectu metus potest 1° peccare per defectum, cedendo dum resistere deberet, quamvis forte metus esset gravis, ut puta, si quis propter metum mortis Fidem negaret; et tunc esset vilis, pusillanimis, et christiana constantia carens. Potest 2° peccare per excessum, resistendo etiam quando cedere deberet; et tunc esset audax, temerarius, pertinax etc. Denique potest 3° nec per defectum nec per excessum peccare, sed mediam rectamque viam tenere, et esse vere virtuosus resistendo intrepide quando resistere debet, et cedendo quando cedere expedit vel licet. In hoc autem tertio casu tantummodo metus cadens in virum constantem verificatur: qui proinde cum metu gravi sic et simpliciter confundi non debet; unde scripsit D. Thomas (apud Ballerini *Tr. I.* VI *n. 124*): « Constans intrepidus est, non quod omnino non « timeat, sed quia non timet ubi non oportet, vel ubi vel « quando non oportet ».

434. *Quid de distinctione inter metum* ***ab extrinseco et ab intrinseco?***

Haec distinctio respicit causam metus.

Si haec causa vere subsistat extra subiectum, tunc metus dicitur *ab extrinseco.*

Si vero, deficiente causa exteriori, quis metu corripiatur, tunc *ab intrinseco* appellatur; quod contingit 1° si metus in errore aut imaginatione mere fundetur; 2° si quis de morbo animi vel corporis proprii aut de sua morte naturali timeat.

Interdum autem metus *partim est ab extrinseco et partim ab intrinseco;* si nempe causa quidem timendi extrinsece subsistat, sed gravitati timoris (quem quis sua imaginatione adaugeat) proportionata non sit.

435. *Metus ab extrinseco subitne subdistinctionem?*

Utique. Potest enim provenire vel **a causa naturali** et necessaria (v. g. incendii, naufragii, pestis, terraemotus, animalium etc.); vel a causa libera (scilicet **ab homine**).

436. *Quid de distinctione inter metum* ***incussum ad hoc et non incussum ad hoc?***

Haec est subdistinctio metus provenientis ab homine. Dicitur *incussus ad hoc* quando est directus ad obtinen-

dum id quod praestatur; dicitur autem *non incussus ad hoc* quando ad id quod praestatur non dirigebatur. Iuvenis, v. g. deprehenditur in flagranti cum puella a patre puellae ipsius, qui iuveni mortem minitatur; unde iuvenis promittit illam in uxorem ducere. Hanc promissionem facere posset quia pater ei comminaretur mortem nisi filiam duceret; vel solum ad placandum patrem qui de matrimonio nihil dixisset. In primo casu metus erit incussus ad hoc; in secundo non item.

437. *Quid de distinctione inter metum* ***iustum et iniustum?***

Metus dicitur iustus vel iniustus a parte illum incutientis.

Ut autem metus sit *iniustus* (in sensu iuris), non sufficit quod utcumque sit irrationabilis (scilicet irrationabiliter incussus), sed exigitur ut sit contra strictam iustitiam. Patruus, v. g. comminatur privare haereditate sua nepotem, nisi in uxorem ducat Titiam nepoti ipsi invisam. Metus erit irrationabilis sed non iniustus. Bene vero esset iniustus si verbera aut mortem ei comminaretur.

Ad constituendum tamen metum iniustum, sufficeret si talis esset solum *quoad modum*. Casus esset si iuveni a sponsalibus inique resilienti fratres puellae derelictae minitarentur mortem, nisi illam duceret; etsi enim ad matrimonium istud iuste cogi posset, modus iste ab illis adhibitus semper iniustus foret.

438. *Quid de distinctione inter* ***metum impellentem et metum concomitantem?***

Metus *impellens* est qui impellit ad actum (quo nomine intellige etiam omissionem actus), unde actus dicitur poni *ex metu*.

Concomitans vero est qui non inpellit ad actum sed solum comitatur actum, unde tunc actus dicitur poni *cum metu*.

Exemplum. Cum metu naufragii quis se committit navigationi: naufragio autem imminente, proiicit merces in mare ad salvandam vitam. En itaque: metus naufragii, quoad navigationem ineundam et prosequendam, est solum

concomitans; quoad vero proiectionem mercium in mare, est impellens.

Hic autem de metu impellente tantummodo agitur.

439. *Quinam sunt* ***effectus metus*** *relate ad voluntatem et relate ad leges?*

Relate ad voluntatem, metus voluntarium 1° ordinarie non tollit; 2° odinarie minuit; 3° aliquando tollit, et aliquando non minuit.

Relate ad leges, metus aliquando 1° excusare potest a culpa; 2° excusare potest a poena; 3° aliquem actum reddere potest irritum aut rescindibilem. Haec sunt explicanda.

440. *Quomodo metus potest* ***aliquando tollere voluntarium?*** Id contingere posset solum quando talis ac tantus esset, ut persona lumime rationis amisso non amplius cognosceret quid faciat, vel actu primo-primo instinctive aliquid faciat.

441. *Cur metus* ***ordinarie non tollit voluntarium?*** Quia ordinarie nec de actu primo-primo agitur, nec lumen rationis amittitur; unde nec cognitio nec libera voluntas deest. Dixi *libera voluntas;* idque patet a sensu communi; qui enim delinquit, etsi metu mortis delinquat, vituperatur, et puniri solet.

442. *Quomodo probatur quod metus* ***ordinarie minuit voluntarium?***

Praemitto id esse verum *de metu gravi;* motiva levia enim non dicuntur minuere voluntarium; ut enim voluntas se determinet, aliquod motivum iam semper exigitur.

Loquendo itaque de metu gravi, quod ordinarie minuat voluntarium, probatur sequentibus rationibus.

I. Quia homo sub influxu metus gravis est minus liber. Iam vidimus id contingere etiam in casu concupiscentiae vehementis; sed in casu metus adhuc magis verificatur.

II. Homo enimvero sub metu non procedit ex toto affectu, sed solet simul habere affectum ad oppositum, et sic voluntas remanere solet veluti divisa. Exemplum habes in proiiciente merces in mare, vel in dante pecuniam latroni, vel in muliere quae gravi metu inducta peccato

consentiat etc. Hinc quod fit ex metu, ordinarie fit aegre, fit cum tristitia, neque fieret si metus non adesset.

Dixi *solet simul habere affectum ad oppositum*, et non dixi semper id accidere; interdum enim metus talis est naturae, ut de se exigat etiam praedicti affectus depositionem, ut patet ex attritione gehennae metu concepta; si enim homo affectum ad peccatum conservaret, gehennam iam non declinaret. Cf. Ballerini (*l. c. n. 132*).

III. Sensus communis habet (ut patet etiam ex legibus poenalibus) quod delicta commissa ex metu gravi, sunt commiseratione digna, minus punienda, facilius ignoscenda etc.; unde dici solet quod peccans ex metu est magis debilis quam improbus. Quis enim non videt magis reum esse tentatorem (et quidem minas adhibentem) quam tentatum; delinquentem sponte, quam delinquentem metu coactum; negantem Fidem sponte, quam negantem atroci martyrio territum; inducentem mulierem ad abortum, quam miseram puellam aut viduam gravissimorum malorum metu abortum in se ipsa procurantem?

IV. Iam dixi metum posse auferre totaliter usum rationis, et sic tollere voluntarium. Sed valde facilius dantur casus in quibus metus mentem obnubilat et iudicium turbat; et sic (hac etiam de causa) minuere potest voluntarium.

443. *Cur dixisti quod metus* ***aliquando non minuit voluntarium?*** Id contingere potest revera in sequentibus casibus.

I. Si metus esset levis aut levissimus.

II. Si non esset causa unica deliberationis, sed simul cum illa adesset alia causa, quae (etiam per se solam) ad deliberationem eandem sufficeret. Exemplum habes in eo qui solitus esset se conferre quotannis in villam solatii causa; hoc anno autem iussu quoque medicorum (et sic metu morbi aut mortis) ad villam se conferret. Tunc enim metus, potius quam diminuere, augere videtur voluntarium.

III. Si metus esset quidem causa unica deliberationis, sed de re valde grata ageretur, et homo de eventu illo gauderet. Exemplum habes in discipulo, qui timore pluviae aut aquae viam inundantis non pergit ad scholam, et vacatio ei gratissima est.

444. *Estne aliquid explicandum circa alios effectus metus, relate ad leges; quod scilicet possit* ***excusare a culpa,*** *vel excusare* ***a poena,*** *vel* ***reddere actus irritos aut rescindibiles?***

Metus gravis excusare posset a culpa, si ageretur de lege quae cum gravi incommodo non obligaret etc. Ordinarie excusat a poenis ecclesiasticis. Reddere potest irritos contractus, et speciatim matrimonium; adde, iure canonico, professionem religiosam, absolutionem a censuris, et donationem bonorum Ecclesiae; iure romano autem promissionem aut renuntiationem dotis et tutelam metu extortam vel abdicatam. Sed de his agendum erit infra suis locis.

PUNCTUM VI.

Agitur in particulari de vi seu violentia.

445. ***Quid est*** *vis seu violentia?* Est coactio quae corpori immediate infertur.

446. ***Quotuplex*** *potest esse violentia?* Iam dixi posse esse absolutam (scilicet physicam et prorsus irresistibilem); et non absolutam. Nunc addo aliquas alias distinctiones.

Potest esse *pura* et *mixta*. Mixta contingit, si vis cum metu immisceatur, ita ut qui vim patitur aliqua etiam faciat vel permittat, non propter violentiam, sed propter metum.

Exemplum. Mulier per vim stuprum patitur, et metu ad active cooperandum cogitur. Titius per vim catena ligatur, simulque suis pedibus graditur metu percussionum nisi iter prosequatur.

Insuper potest esse *impeditiva actus* (ut puta, si quis violenter aliquem detineat ne fugiat aut resistentiam opponat), vel *coactiva ad actum* (ut puta, si quis manu mea violenter apprehensa ad aliquid mali faciendum utatur).

447. *An violentia* ***tollat voluntarium?*** Affirmative; sed ordinarie oportet ut vim passus voluntate sua nihil sive agendo sive non impediendo conferat. Si enim voluntas, sive ante factum sive in facto ipso, aliquid con-

ferret, utique tunc voluntarium subsistere, et (non obstante violentia) homo in culpa esse posset.

Culpa interveniret ante factum, si quis reus esset in causa, si nempe eventum praevidisset, illumque evitare potuisset atque debuisset; quod speciatim in foeminis periculum stupri praevidentibus contingere potest; unde sive ad fugiendum omnino, sive ad cautelas adhibendas facile tenentur. Cf. *De occasionariis* (*n. 247. 139 et 5*).

Dixi *illumque evitare potuisset atque debuisset;* interdum enim, attenta levitate periculi, aut necessitate in illo manendi, posset quis (non obstante praevisione) reus in causa minime esse. Casus dari potest praecipue in miseris uxoribus violentae sodomiae a parte mariti expositis, aut in muliere quae propter necessitatem aliquam nocturno tempore extra domum non sine periculo se conferre cogeretur etc. Tunc quippe de simplici et inculpabili permissione res esset.

Culpa interveniret *in facto ipso*, scilicet durante violentia, quatuor modis; nempe 1° propter immixtos actus externos a voluntate imperatos; 2° propter debitae resistentiae omissionem; 3° propter consensum internum; 4° propter permissionem periculi consensus ipsius. Sed haec etiam sunt explicanda.

448. *Quomodo interveniret culpa, durante violentia,* ***propter immixtos actus externos a voluntate imperatos?***

Dantur casus in quibus vim passus facit actus voluntarios externe quoque.

Hi actus aliquando sunt culpabiles. Exemplum habes in muliere vi oppressa, quae in principio quidem mere passive se habuisset, sed postea consensum praestitisset. Item in milite ducto per vim ad bellum iniustum, qui in pugna metu mortis hostes innocentes occidisset; vel, dum sat facile abstinere potuisset, incendisset, devastasset etc.

Sed aliquando actus ipsi sunt prorsus excusabiles, ut puta, si huiusmodi miles non iam facile ab his abstinere potuisset, sed mortis metu arma bellica praeparasset, vel incendisset, vel devastasset etc. (non tamen occidisset).

449. *Quomodo interveniret culpa* ***propter resistentiae omissionem?***

Ut vi detentus sit in culpa si resistentiam non opponat, oportet imprimis ut resistentia ipsa sit physice

possibilis atque ad aliquid utilis; ad id enim, quod prorsus sive impossibile sive inutile sit, nemo teneri potest.

Quamvis autem aliqua resistentia physice possibilis atque ad vincendam violentiam utilis esset, non semper ad illam adhibendam vim passus tenetur. Videndum an resistentia sit facilis, an vero difficilis. Ad resistentiam facilem certe datur obligatio; ad difficilem autem, aliquando datur et aliquando non; idque solum in casibus particularibus accurate determinari poterit.

Sit tamen hic quoque exemplum. Agitur, v. g. de violentia facta ne quis ad Missam se conferat? Utique ille ad resistendum cum gravi incommodo non tenebitur. Bene vero ad id teneri posset mulier vi oppressa, Dixi *teneri posset*; non enim absolute ad quamcumpue resistentiam, et non obstante quocumque incommodo et in quocumque casu, teneretur. Ad illam resistentiam quae a natura ipsa suggeritur (v. g. se agitando, brachiis, manibus et pedibus se defendendo etc.), mulieres certe obligantur et quidem non obstantibus minis de malis futuris etiam gravissimis, propter sequentes rationes. Prima est quia hoc est medium naturale, et quidem etiam ordinarie efficax si serio adhibeatur. Bene scripsit Lugo (*De Inst. X.* x *199*): « Rarissime contingit, virum delectationem turpem ab invita omnino et « reluctante (lugente, clamante etc.) captare velle (vel posse) ». Secunda est quia reluctantia ista exigitur praecavendum periculum consensus. Tertia est quia si propter minas de malis futuris mulieres non amplius resistere sed quietae remanere possent, tunc fornicationibus et adulteriis ianua latissima aperiretur. At vero, in ponenda huic mulieri obligatione resistendi, ulterius meo sensu non est progrediendum; non enim credo, v. g. quod mulier, si alia media non valerent, ad occidendum quoque aggressorem, vel ad exponendam se ipsam hic et nunc evidenti mortis periculo (se deiiciendo v. g. e fenestra) obliganda sit. Vide *De occasionariis* (*n. 248 et seqq.*).

450. *Quomodo posset intervenire culpa* ***propter consensum internum?***

Consensus internus (seu gaudium) culpam ordinarie inducit, ut per se patet.

Dantur tamen casus in quibus aliquod gaudium sub aliquo respectu licite concipi posset; aliud enim est agere, et aliud pati; multa sunt quae fieri nequeunt et nihilominus libenter pati possunt; ut patet exemplo Martyrum qui licitissime de tormentis iniquissime illatis gaudebant, imo et antea ex toto corde illa desiderabant. Loquendo autem stricte de casu nostro, dari potest exemplum illius, qui debitor esset magnae summae erga quemdam, qui summâ ipsâ ad gravia mala perpetranda abusurus foret. Si huiusmodi debitor violenter cogeretur ad hanc summam

minime solvendam, nonne de hoc eventu, sub respectu quod sic mala illa non amplius evenient, gaudere poterit? Videndum est itaque qua de re, cur, quomodo etc. gaudium habeatur.

Caeterum ut plurimum, sive quia gaudium respiciat obiectum intrinsece malum (et qua tale), sive quia finis gaudii sit pravus etc.; de iniqua violentia eiusque effectu gaudere, ordinarie illicitum est, ut dixi. Exemplum habes in muliere, quae vi oppressa gauderet.

Subtiliter tamen notat Ballerini (*Op. theol. I* v. *122*) aliud esse de effectu simul et causa; aliud vero de solo effectu gaudere, quod ultimum verificaretur in eadem muliere, quae delectationi consentiret, sed oppressionem detestaretur; quo casu illa certe quidem peccaret, sed complex minime esset.

451. *Quomodo posset intervenire culpa propter* ***permissionem periculi consensus?*** Quando gaudium concipere non liceat, simulque adsit grave periculum illud concipiendi (quod in re venerea practice semper praesumitur), utique actus in contrarium mente (rem abominando, Deo se commendando etc.), et facile etiam corpore (etsi reluctantia corporalis ad impediendam oppressionem esset inutilis) emittendi (ut periculum imminuatur) obligatio aderit; et sic manifestum est quod ex hac etiam parte culpa intervenire potest.

Appendix

De violentiis quas daemon hominibus inferre potest.

452. *An diabolus possit vim inferre corporibus?* Deo permittente, affirmative.

Patet 1° ex sacris scripturis. Legitur (Matth. *IX. 31*): « Obtulerunt « ei hominem mutum daemonium habentem; et eiecto daemonio locutus est « mutus ». Et (*l. c. XII 22*): « Oblatus est ei daemonium habens caecus « et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur et videret ». Et (Marc. *IX*): « Unus de turba dixit: magister, attuli filium meum ad te habentem spi- « ritum mutum: qui, ubique eum apprehenderit, allidit illum, et spumat « et stridet dentibus, et arescit..., et frequenter eum in ignem et in aquas « misit, ut eum perderet... Iesus comminatus est spiritui immundo dicens « illi: surde et mute spiritus, ego praecipio tibi: Exi etc. ». Et (Matth. *IV 5*): « Tunc assumpsit eum (Iesum) diabolus in sanctam civitatem, et « statuit eum super pinnaculum templi ».

Patet 2° ex Patribus et sacris Interpretibus. Chrysostomus (in Matth. *IX. 32*) scripsit: « Hinc videtur quod daemon fecerit eum mutum, impe- « diendo usum linguae ». Et Caietanus (in Marc. *IX*) subiunxit: « Hinc « habes quod daemon reddit quandoque hominem surdum et mutum; si-

« milisque est ratio de aliis aegritudinibus... Ad cumulum testimonii, quod « spiritus sit efficiens illum surdum et mutum, praecepto cogit illum ad « exeundum ; praecepta enim intelligentibus diriguntur ».

Patet 3° ex institutione ordinis exorcistatus, et ex sensu Ecclesiae, quae maleficia, obsessiones et invasiones diabolicas contingere posse semper recognovit ; unde exorcismos praescribit, et in Rituali (*De exorciz. obsess.*) dicitur quod daemon potest modo impedire actus (v. g. ne obsessus ad sacram eucharistiam accedat) ; modo corpus obsessi torquere, pungere, infirmitatibus subiicere ; modo somnum in ipsum inducere ; modo ad actus diversissimos (v. g. agendi supra vires, vel loquendi ignotis linguis, vel ridendi, iocandi, ineptias proferendi etc.) eum cogere.

Patet 4° ex theologis, inter quos vide, v. g. S. Lig. (*Praxix n. 110*).

453. *An diabolus possit vim inferre etiam in rebus peccaminosis ?* Affirmative, pariter, permittente Deo. Patet 1° ex sacris litteris. In Evangelio Matth. (*VIII 28*) legitur : « Occurrerunt ei duo habentes daemonia... saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam ». Patet 2° ex Rituali, ubi dicitur quod obsessi a daemone subinde iniuriam rebus sacris facere coguntur. Patet 3° ex theologis, inter quos S. Lig. (*l. c. 111*) scripsit : « An possit daemon, permittente Deo, *absque hominis culpa* manus « illius admovere ad se tactibus polluendum ? Affirmat Pater Gravina, et « quidem probabiliter ; si enim... daemon potest alicuius commovere lin- « guam, ut *invitus* proferat obscoena verba, aut blasphemias contra Deum, « quidni manus ut turpia patrentur ?

Et sane, si Deus permittere potest ut persona subiiciatur violentiis (in rebus quoque peccaminosis) alterius personae ; cur non etiam violentiis daemonis ? Et si Deus permittit ut daemon nos tentet malis imaginationibus ; cur non permittere poterit ut (v. g. apparitionibus) nedum verbis (sicut fecit cum Eva), sed etiam aliis modis aliquem tentet ?

454. *An contingere possit, Deum permittere ut daemon personis quoque piis in rebus peccaminosis violentiam inferat?* Affirmat Scaramelli qui (*in vit. Ven. Mariae Crucifixae*) dicit : « Daemones impios affectus in « ea suscitabant, illiusque linguam ad maledicendum rebus sanctissimis « velociter movebant, atque interdum illius manibus utebantur, ut numi- « smata et libros sanctos in terram deiiceret ». Idem sensit S. Lig. (*l. c.*) Ex praxi autem satis manifeste patet quod in personis piis, et maxime in virginibus Deo devotis, violentiae huiusmodi accidunt ; quamvis enim non facile poenitentium attestationibus in his rebus fides sit adhibenda ; tamen dantur casus in quibus res narratae nec fictioni nec illusioni prudenter tribui possunt, et omnino credendae sunt. Finis autem Dei in rebus istis permittendis, iuxta Asceticos, est ut animae piae, imprimis profundissime humilientur ; deinde, viriliter resistendo, virtutem quam maxime exerceant ; et sic specialissima merita sibi acquirant. Nil mirum autem quod daemon, extraordinarie huiusmodi libertate habita, omnes nisus ad illas vincendas adhibeat ; si enim illas reddere posset suas, heu quantum essent cibus eius electus !

455. *An res eo usque procedere possint, ut daemon concubitum habeat ?* Affirmant doctores communissime. S. Lig. (*l. c.*) scripsit : « Qui ma- « gis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, « sunt ii qui turpibus visionibus ac etiam tactibus vexantur a daemone, « qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis « carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *suc-* « *cubus* vel *incubus* appellatur ». Et adducit verba S. Augustini dicentis : « Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solum vi-

« deri, verum etiam tangi possent, verissima scriptura testatur, et multos « (quos vulgo incubos vocant) improbos saepe extitisse mulieribus, et ea- « rum appetiisse ac peregisse concubitum ». Et quidem, loquendo de personis adeo perditis ut in hunc finem daemonem invocent, res est adeo certa ut in pluribus dioecesibus (sicut apud nos) concubitus cum daemone inter casus reservatos recenseatur. Sed ex praxi patet quod etiam in quibusdam bonae conscientiae personis res ista contingere potest. Sic sentit quoque Scaramelli, qui (*Direct. mist. n. 123*) dicit: « Concubitus daemonis ali- « quando contingit etiam personis piis, quae longe sunt a consensu, atque « heroicos castimoniae actus tunc exercent reluctando ».

456. *An credi possit quod Deus etiam cum gravi vel gravissimo consensu periculo quoad personas bonae conscientiae res huiusmodi permissurus sit?* S. Lig. loquens in genere de animabus in materia luxuriae a daemone infestatis, dicit (*l. c. 112*), illas « in magno periculo versari, « si remedia non adhibeant multum efficacia etc. ». Quidquid sit de sensu S. Ligorii, mihi placet quod dicit Scaramelli; haec scilicet permitti a Deo illis personis piis *quae longe sunt a consensu;* et tentationes vehementiores quidem esse posse quam patiatur humana fragilitas, sed gratiam divinam esse in promptu et vires adaugere (*n. 120*). Hoc etiam ex praxi confirmari videtur, magisque conforme est sententiae Apostoli (*I. Cor. X. 13*) dicentis: « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra « id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum ut possitis susti- « nere ». Adde quod subinde Deus (non tam exercitium virtutis quam humiliationem intendens) ita daemonem coercet, ut reddere debeat personam non sui compotem (iuxta dicta *n. 424*) antequam res huiusmodi perpetret.

457. *Quid praecipue cavendum in hac materia?* Cavendum praecipue ne incidatur in perniciosissimum Michaelis Molinos errorem, qui violentiam diabolicam recognoscebat ubi nullo modo recognosci potest; sic enim praetextu violentiae diabolicae peccata et delicta fere omnia (et maxime graviora) excusarentur. Enimvero oportet imprimis ut adsint signa specialia et manifesta diabolicae obsessionis; quod negabat Molinos; unde inter alias damnata fuit (ab Innoc. XI) sequens eiusdem propositio (*n. 41*): « Deus « permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem per- « ducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, *etiam non arreptitiis* « (scil. etiam non obsessis), daemon violentiam inferat earum corporibus, « easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis « offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum « voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in « quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus ». Et subdebat: « Potest dari casus, quod huiusmodi violentiae ad actus carnales « contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et « foeminae, et ex parte utriusque sequatur actus »!

N. B. Quid autem efficere possit daemon circa potentias animae, vidimus supra *Puncto IV n. 424.*

PUNCTUM VII.

De statu, in quo persona, propter imperfectionem aut morbosam turbationem virium cerebralium, plus vel minus rationis usu impeditur.

458. ***Quibus in personis*** *status huiusmodi contingere potest?* 1° In pueris; 2° in dormientibus, semidormientibus et somnambulis; 3° in fatuis et semifatuis; 4° in sensibus imbecillibus; 5° in ebriis et semiebriis; 6° in iis qui extraordinario modo nervosis paroxismis, vel hysterismo, habitualiter subiiciuntur; 7° in iis qui casu aliquo, sive ex morbo cerebrum afficiente, sive ex passione vehementissima, sive ex opera diabolica, lumine rationis ad tempus destituuntur et delirant vel insaniunt (Cf. quae cum D. Th. dixi supra *n. 404* et *n. 424*).

459. *Praescindendo a casibus, in quibus persona iam certe et totaliter rationis usu destituitur (ut in infantibus, aut perfecte ebriis, perfecte amentibus, perfecte dormientibus etc.), quid de aliis casibus? Quid scilicet de pueris qui aliquid distinguere incipiunt, vel de semidormientibus, semifatuis, senibus imbecillibus, etc.?*

Huic quaesito vix potest adaequate responderi.

Culpa certe mortalis difficile dabitur. Possibilitas tamen erit. S. Lig. (*VI. 432*) dicit, absolvendum esse puerum vel semifatuum, qui accusavit mortale, *ne forte ille maneat in mortali.* Culpa venialis valde facilius admittitur; unde Scavini (*I 782*) dicit quod delectatio, propter pollutionem in vigilia semiplena (*it. tra la veglia e il sonno*) contingentem, potest esse venialis.

460. *Quid speciatim de* ***hysterismo?***

Quamvis huius morbi nomen proprie solis foeminis aptetur; tamen improprie de viris quoque subinde dicitur quod hysterismo subiiciuntur.

Substantia huius morbi consistit in extraordinaria excitabilitate nervosa; unde quid minimum sufficit ut persona statim et praepotentissime ad excessus impellatur.

Quae ab hystericis in tali statu perpetrantur eruntne

eis imputanda ad culpam? Circa casum istum (qui etiam in personis piis, monialibus etc. satis practicus est, et confessarios non parum in angustias coniicere solet) necessarium esset ut studia accurata fierent, et ego vellem potius alios audire, quam quidquam scribere. Dico tamen, casus circumstantias esse perpendendas; et speciatim duo esse consideranda; scilicet 1° An persona fateatur se in tali statu conscientiae remorsum non experiri, aut adeo subito abripi, ut reflectendi ad malitiam tempus non suppetat etc. 2° An modus agendi sit adeo diversus ab ordinario, atque adeo abnormis et excessivus, ut iam dementiae signa manifesta adsint. In his casibus (nisi reatus sit in causa) pro absentia culpae (saltem mortalis) starem; sed (repeto) sententiam aliorum expecto.

PUNCTUM VIII.

De idiotismo et speciatim de surdo-mutis.

461. *Quid est* ***idiotismus?*** Est defectus instructionis, qui contingit speciatim in surdo-mutis a nativitate (methodice non instructis), maxime vero in surdo-mutis simul et coecis. Idiotismus causando ignorantiam, plus vel minus causat involuntarium, ut per se patet.

462. ***Surdo-muti*** *non instructi suntne capaces reatus?* Non una est doctorum sententia; et plures censent eos culpae formalis non esse capaces; quia Dei, et proide offensae divinae, ideam habere nequeunt. Alii autem contrarium docent, sive quia aliquam Dei ideam habere valeant, sive quia bonum a malo (quod certissimum est) distinguunt; quod sufficit ut reatum contrahere et puniri possint; prout etiam legislatores civiles sentiunt. Ego quoque ita censeo. Vide *Theol. mor.* (*Vol. V. n. 857*).

463. *Quid de* ***surdo-mutis simul et coecis?*** De his crescit difficultas. Nihilominus distinctionem aliquam inter bonum et malum eos etiam facere non erit impossibile: et sic opinatur etiam S. Lig. (*VI 732*), ubi dicit Extrema Unctione eos esse donandos.

CAPUT II.

DE ACTUUM HUMANORUM MORALITATE.

Indicantur 1° essentia et distinctiones moralitatis. Indicantur 2° Fontes moralitatis. 3° Declaratur an actus externus moralitati obnoxius sit.

ARTICULUS I.

De essentia, et distinctionibus moralitatis.

464. ***Quid est** moralitas?*

Iuxta sensum scholarum (speciatim modernarum) moralitas est *relatio actus cum regulis morum.*

Actus enim considerari potest vel in solo esse physico (v. g. an sit internus aut externus, voluntarius aut involuntarius etc.); vel etiam in esse morali; an scilicet sit conformis regulis morum (quae a legibus et a conscientia suppeditantur), aut e contra sit ab iisdem difformis.

Dixi *iuxta sensum scholarum;* vulgaris sermo enim distinguit inter moralitatem et immoralitatem, secundum quod actus licitus vel illicitus sit.

465. ***Quotupliciter** potest actus se habere quoad relationem cum regulis morum?*

Tripliciter; scilicet potest esse 1° bonus; 2° malus; 3° indifferens. Sed quandonam erit bonus, quandonam malus, quandonam indifferens? Communi sensu erit *bonus*, si sit laudabilis et praemio dignus (prout sunt actus praecepti, v. g. audire missam die festo; aut virtuosi, v. g. audire missam die feriali); *malus*, si sit reprehensibilis et poena dignus (prout sunt actus prohibiti, v. g. omittere missam die festo); *indifferens;* si nec laudabilis nec reprehensibilis neque praemii neque poena dignus sit (v. g. aliquid emere, deambulare, ludere, non audire missam die feriali etc.).

Dixi, haec ita intelligi *communi sensu:* actiones enim, quae hic dicuntur *indifferentes,* apud plures theologos dicuntur *bonae,* et sunt qui docent, actus indifferentes in concreto nunquam contingere; qua de re paullo infra (*n. 482*) sermo habebitur.

466. *Quomodo* ***distinguitur moralitas?*** Moralitas alia est *formalis* (seu in individuo), quatenus actus, uti positus ab homine sui compote atque scienter et libere agente, consideratur; alia vero est *materialis* (seu in se), quatenus actus iuxta solum suum esse materiale, et praescindendo a conscientia agentis, consideratur. Hinc unus idemque actus potest esse bonus vel indifferens materialiter (v. g. comedere carnes die Iovis), et malus formaliter (v. g. comedere carnes die Iovis credendo esse diem Veneris). Item actus potest esse indifferens in se, et bonus vel malus in individuo. Exemplum habes, si quis in ecclesia expueret credendo esse peccatum.

ARTICULUS II.

De fontibus moralitatis.

467. *Hoc nomine quid intelligitur?*

Intelliguntur illa diversa capita ex quibus (tamquam ex origine vel fonte) bonitas vel indifferentia vel malitia actuum profluit. Multa enumerantur; sed ad duo reduci possunt; scilicet 1° ad obiectum: 2° ad circumstantias, quarum praecipua est circumstantia finis.

Titius, v. g. surripit rem aliquam in loco sacro ad eam insumendam in vitiis. In hoc casu malitia actus 1° ex obiecto (surripiendo rem alienam); 2° ex fine (furtum ad pecuniam insumendam in vitiis committendo); 3° ex circumstantia loci sacri; et sic ex tribus fontibus, proflueret.

468. *Quid est* ***obiectum?*** Est res volita, non tamquam finis sed immediate; et considerata solum quoad substantiam, non vero quoad circumstantias accidentales. Paucis: Obiectum est substantia facti, praescindendo a fine.

469. ***Malitia obiecti quotuplex*** *esse potest?*

Imprimis potest esse *intrinseca* et *extrinseca.* Intrinseca provenit a iure naturae (ut malitia homicidii, furti, mendacii etc.); extrinseca vero a iure positivo vel a praecepto Superioris (ut malitia omissionis missae, ieiunii,

vel si filius contra vetitum patris nocturno tempore extra domum remaneret etc.). Malitia autem intrinseca subdistinguitur; alia est enim *absoluta*, et alia *non absoluta*. Absoluta est quae ne a Deo quidem auferri potest (ut malitia blasphemiae, odii Dei etc.); non absoluta e contra est quae in quibusdam circumstantiis cessare potest.

Alio etiam sensu accipitur distinctio malitiae intrinsecae et extrinsecae; nempe dicitur intrinseca quatenus invenitur necessario in ipsa substantia operis (v. g. in adulterio), et e contra dicitur extrinseca, quatenus illiceitas absoluta, et talis ut nullus prorsus casus excipi debeat, statuitur propter consequentias perniciosissimas quae sequerentur si casus aliquis exciperetur, ut puta, si pollutio, vel fornicatio, vel occisio innocentis in aliqua magna necessitate licitae dicerentur.

470. *Quid sunt* ***circumstantiae?*** Sunt ea quae non efformant obiecti seu rei aut actus substantiam, sed substantiae ipsi circumstant accidentaliter; ita ut factum etiam sine illa circumstantia subsistere possit. Sic, v. g. in homicidio substantia est occisio hominis iniusta; sed si occisus esset clericus, haec esset homicidii circumstantia.

471. *Quaenam sunt* ***circumstantiae principales?*** Indicantur in notissimo versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Illas explico; sed ita ut circumstantiam *cur* diffusiori elucidatione indigentem post alias omnes explicem.

472. *Quid est circumstantia* ***Quis?*** Est circumstantia quae residet in ipsa persona agentis, an scilicet agens sit, v. g. clericus vel laicus, voto ligatus vel liber, coniugatus vel non coniugatus, privatus vel publicus etc.

473. *Quid est circumstantia* ***Quid?***

Est circumstantia accidentalis obiecti. Obiectum sit, v. g. percussio hominis: circumstantiae erunt quod percussus sit laicus aut clericus, extraneus aut parentela coniunctus etc.: item quod percussio fuerit gravis aut levis etc. Si obiectum esset furtum, circumstantia esset v. g. quod res ablata sit sacra, quod quantitas sit magna vel exigua etc.

Sub hac circumstantia veniunt etiam *effectus accidentaliter secuti* et imputabiles, v. g. scandalum.

474. *Quid est circumstantia* ***Ubi?*** Est circumstantia loci, v. g. privati, vel publici, profani vel sacri etc.

475. *Quid est circumstantia* ***Quibus auxiliis?*** Haec respicit media quibus agens accidentaliter usus fuit; ut puta, si quis per alium commiserit homicidium, vel ad superstitionem exequendam res sacras adhibuerit etc.

476. *Quid est circumstantia* ***Quomodo?*** Haec respicit modum quo res peragatur, v. g. an malitiose, vel bona fide; an modo intenso vel remisso; an advertenter necne etc.

477. *Quid est circumstantia* ***Quando?*** Haec respicit tempus, v. g. quali, vel quanto tempore.

478. *Quid est circumstantia* ***Cur?***

Est finis operantis. Dixi *operantis*. Nam duplex distinguitur finis, nempe *operis* et *operantis*.

Finis *operis* (seu intrinsecus) est ille ad quem actio ex natura sua (atque adeo independenter a voluntate operantis) est ordinata (v. g. blasphemia ad inhonorandum Deum: eleemosyna ad sublevandos pauperes). At vero finis operis pertinet ad substantiam operis ipsius, et proinde non pertinet ad circumstantias accidentales, de quibus est hic sermo.

Hinc circumstantia **cur,** de qua hic loquimur, est finis *operantis* (ut dixi), qui etiam finis extrinsecus appellatur. Finis huiusmodi definiri solet *id propter quod aliquid fit;* et proinde significat scopum, quem operans suo arbitrio sibi praefigit.

Operans potest habere ille quoque finem operis sive solum, sive simul cum alio. E contra potest non habere finem operis, sive ita ut circa eundem sit indifferens, sive ita ut eidem sit ex animo contrarius.

Exemplum. Supellectiles sacrae conficiuntur a pia muliere vel ex sola devotione, vel etiam cum aliquo fine lucri; vel conficiuntur sive a mercatore cui de usu sacro nihil interest, sive a Iudaeo qui usum ipsum ex corde abominatur. — Alia exempla. Sacerdos celebrat missam ex sola devotione vel etiam ob stipendium. Caius audit missam ex mera hypocrisi. Titius facit eleemosynam ob vanam gloriam. Sempronius blasphemat, sed unice ad effundendam iram, vel ad terrefaciendum aliquem etc.

479. *Finis operantis subitne* ***alias distinctiones?*** Affirmative.

Potest esse I. *Ultimus absolute*, qui in assecutione summi boni consistit, et ultra quem nullus alius esse potest.

II. *Ultimus vel intermedius in aliqua serie actionum.* Exemplum. Titius vult occidere inimicum. In hunc finem adhibet media et praecipue procurat inducere alium ad illum occidendum. Haec inductio esset finis intermedius; occisio autem inimici finis ultimus foret.

III. Agens in aliqua actione particulari potest sibi praefigere vel *finem unicum* (ut puta, celebrando missam ex unico fine devotionis), vel *plures fines* (ut puta, celebrando missam propter devotionem et etiam propter stipendium).

Unicus autem esse potest positive et negative. Erit *unicus positive*, si alii fines positive excludantur (ut puta, si medicus protestetur se curare infirmum gratis); erit vero *unicus negative,* si alii fines actu nec intendantur nec excludantur; ut puta, si medicus ipse curam praestet aegroto ad illum sanandum, sed de retributione non cogitet (illam non excludendo).

IV. Inter plures fines contingere potest quod unus sit *causa motiva* (ita scilicet ut, eo fine secluso, actio non fieret): et alius sit *causa impulsiva* (qua etiam seclusa, actio fieret, etsi forte minus libenter, minus prompte etc.). Romam, v. g. me confero ad expediendam litem, sed ad hoc iter me impellit etiam festum extraordinarium quod illuc celebratur; ita tamen ut solum propter hoc festum Romam non irem. En itaque: lis est causa motiva; festum vero solum impulsiva.

Finis, qui sit causa motiva, *primarius;* qui vero sit causa impulsiva tantummodo, *secundarius* a theologis appellatur; sed communi sensu, si plures essent causae motivae, quarum una potior foret, nihil vetaret quominus ipsae quoque finem primarium et secundarium constituant.

V. Causae motivae possunt esse plures; et hoc duobus modis accidere potest. Primus est si singulae sufficiant ut homo se determinet; et tunc quaelibet dicitur causa *adaequata*, vel etiam *causa totalis totalitate causae*. Exemplum habes in medico, qui ad aliam civitatem se conferret ad consultationem faciendam pro duobus infirmis, dum, si solum pro uno vocatus fuisset, eodem modo illuc se contulisset. Secundus est si una causa sine

alia non sufficeret, attamen ambae simul iunctae ut homo se determinet sufficiant (ut puta, si praedictus medicus vadat pro duobus, dum pro uno iturus non esset); et tunc hae causae dicuntur quidem in se *partiales* et *inadaequatae*, sed, quum propter ipsarum unionem, voluntatem eodem modo determinent eundemque effectum producant, summatim totali atque adaequatae aequivalent, unde dicuntur *totales totalitate effectus.*

480. *Quid de circumstantiarum* ***influxu in actuum moralitatem?***

I. Aliquando sunt *indifferentes*, unde in genere moris nihil influant. Quid, v. g. interest an manu dextera an vero sinistra quis furatus fuerit? Et ablato, v. g. centum scutatorum valore, nihil considerari solet an in pecunia, an vero in aliis obiectis, valor iste consistat.

II. Aliquando sunt *mutantes speciem* (melius dicerentur *addentes* speciem); efficiunt scilicet ut actio, retenta sua bonitate vel malitia, aliam insuper diversae speciei bonitatem vel malitiam acquirat. Titius, v. g. dat eleemosynam ut impediat peccata (tunc enim charitas spiritualis charitati corporali adiungitur); et Caius aufert rem alienam ut illam insumat in lupanaribus (tunc enim peccato contra iustitiam peccatum contra castitatem superadditur).

III. Aliquando sunt *aggravantes* vel *minuentes,* efficiunt scilicet ut malitia actionis crescat vel minuatur, quin speciei mutatio interveniat. Sic aliud est furari centum et aliud mille: aliud furari pauperi et aliud diviti etc. Quod autem dicitur de malitia, dici debet etiam de bonitate actionis, quam circumstantiae adaugere vel minuere possunt, crescente vel decrescente, v. g. diuturnitate, difficultate etc.

IV. Aliquando *impediunt malitiam actus* (v. g. omittis Missam, vel non satisfacis aliis praeceptis Ecclesiae, propter grave incommodum).

V. Aliquando *impediunt indifferentiam actus*, sive illum ex indifferenti reddendo bonum (v. g. lucrum tibi procuras ad faciendas eleemosynas); sive illum reddendo

malum (v. g. confabularis in Ecclesia, aut occulte dispensatus comedis carnes die esuriali cum scandalo).

VI. Aliquando *impediunt bonitatem actus* (adeo ut cesset esse et dici bonus), sive reddendo illum indifferentem (v. g. ingrederis ecclesiam mere ad videndum apparatum, vel ad vocandum amicum), sive reddendo illum malum (v. g. contra obedientiam, vel contra munera tui status, immoraris in ecclesia, oras, ieiunas etc.).

Monet tamen D'Annibale (*I 146*) quod opera bona propter circumstantias non redduntur mala absolute, sed solum secundum quid. Sic missa et sacramenta etc. remanent bona ex opere operato, quamvis sacerdos in mortali celebret vel ministret. Sic orationes, ieiunia etc. in exemplo adducto, evaderent mala solum quia sic inobedientia vel transgressio propriorum munerum interveniret; non vero quia sint orationes, ieiunia etc.; unde in confessione inobedientiam fuisse commissam vel munera propria non fuisse satisfacta etc. dicere sufficeret. Idem dic si quis in iudicio interrogatus responderet veritatem ex odio contra accusatum.

VII. Aliquando denique *actus bonitatem non impediunt*, *sed illum tantummodo aliqualiter vitiant*, quod speciatim accidit quando leves defectus in operibus bonis immiscemus; vae enim si tunc operum ipsorum bonitas prorsus evanesceret! Tunc quippe in mundo vix quidquam boni esset. Exemplum habes si in oratione facienda tepor aliquis, vel si in facienda eleemosyna ostentatio levis, vel si inserviendo infirmis vel confessiones audiendo impatientia aut alius levis defectus interveniret.

Hinc cum mica salis accipiendum est effatum: *Bonum ex integra causa, malum autem ex quovis defectu;* interdum enim bonum remanet bonum quamvis non sit ex integro bonum, nec efficitur simpliciter malum si cum aliquo defectu peragatur. Cf. Ballerini (*Op. th. I 161. 166*).

481. *Circa influxum in actus moralitatem, estne aliquid specialiter notandum* ***in circumstantia finis?*** Affirmative, tum quando finis sit bonus, tum quando sit indifferens, tum quando sit malus.

482. *Quid* ***si finis sit bonus?***

I. Si finis sit bonus et obiectum sit malum, tunc bonitas finis (etsi sanctissimus esset) non tollit malitiam obiecti; unde effatum: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona* (exemplum habes in committente furtum ad faciendam eleemosynam). Attamen 1° hoc intellige nisi

finis causam legitime excusantem efformaret (v. g. non audis missam ad assistendum patri infirmo); 2° finis bonus minuit malitiam obiecti mali (unde qui furatur ad faciendam eleemosynam minus peccat quam qui ex mera pecuniae cupiditate furaretur; item minus peccat qui mentitur ad salvandum innocentem, quam qui mentitur ad se in re levi excusandum etc.) Ballerini (*Op. th. I 162*).

II. Si finis sit bonus et obiectum sit indifferens, tunc unica (scilicet ex solo fine) aderit bonitas (v. g. confabularis ad solatium praebendum aegroto).

III. Si finis sit bonus et obiectum sit bonum, tunc duplex adesse poterit bonitas, si nempe bonitas finis a bonitate operis sit specie diversa (v. g. das eleemosynam ad impediendum peccatum; ieiunas ad satisfaciendum voto etc.). Si autem finis operantis coincideret cum fine operis, tunc bonitas unica esset (v. g. das eleemosynam ad sublevandam miseriam etc.).

483. *Quid **si finis sit indifferens**?*

I. Si finis sit indifferens et obiectum sit malum (v. g. facis contractum usurarium ex fine lucri); tunc malitia est unica, quandoquidem ex solo obiecto provenit.

II. Si finis sit indifferens et obiectum pariter sit indifferens (v. g. emis rem aliquam ex mero fine lucri), tunc totus actus indifferens erit (1).

III. Si finis sit indifferens et obiectum sit bonum; tunc videndum an talis finis sit unicus, an vero simul cum indifferenti adsit etiam finis bonus. Si adsit etiam finis bonus, tunc opus remanet bonum. (Exemplum. Celebras mis-

(1) Quid de doctrina, quae dicit actus indifferentes in individuo (scilicet in concreto, atque attentis circumstantiis et speciatim attento fine agentis) dari non posse?

Multae actiones etiam in individuo, sunt certe vel peccaminosae vel virtuosae, et proinde nequeunt esse indifferentes. Sic missam omittere die festo peccaminosum, et audire die feriali virtuosum; et neutrum indifferens erit.

Sed adsunt quoque actiones vel omissiones innumerae, quae communi sensu nec tamquam peccaminosae nec tamquam virtuosae habentur, et sunt illae quae ex una parte in se reputantur licitae, et ex alia fiunt pro delectatione (intellige semper moderata), vel pro lucro, vel pro commodo etc., idque quamvis interim omitterentur res maioris perfectionis; ut puta, si quis die feriali, potius quam audire missam, luderet. — Ad actio-

sam vel cantas in ecclesia ad Dei gloriam, sed simul etiam propter stipendium). Si vero finis indifferens sit unicus, ita ut finis operis quoque excludatur vel nullo modo intendatur, tunc actus cessat esse bonus. (Exempla. Musicam quis exequitur in Ecclesia ex unico fine lucri sicut faceret in theatro. Ecclesiam quis adit unice ut inspiciat picturas vel audiat musicam. Ieiunat quis ex unico fine acuendi appetitum, vel parcendi expensis etc.). Porro bonum, ut formaliter sit bonum, intendi debet sub ratione boni ; ita scilicet ut homo eius bonitate allectus illud velit. Baller. (*l. c. 155 et 165*).

484. ***Quid si finis sit malus?***

I. Si finis operantis sit malus, et obiectum pariter malum sit, tunc malitia duplex erit. (Exemplum habes in eo qui furatur ut emat vinum ad se inebriandum ; vel in tyranno qui christianos tormentis afficiat ut illos avertat a Fide).

II. Si finis sit malus et obiectum sit indifferens, tunc unica malitia aderit. (Exemplum habes in eo qui cantet ut alicui molestiam afferat).

III. Si finis sit malus et obiectum sit bonum ; tunc theologi sic dicunt. Si finis malus sit unicus, ita ut finis operis boni excludatur vel nullo modo intendatur, tunc tota actio fit mala etsi forte finis non graviter sed leviter malus esset (Exemplum habes in faciente eleemosynam unice

---

nes autem et omissiones istas restringitur quaestio, an etiam in individuo sint indifferentes ?

Theologi non conveniunt et sententiae sunt tres.

Prima (cum Scoto) docet esse indifferentes, et proinde licitas quidem, sed nec malas nec bonas dici posse.

Secunda (cum D. Thoma) docet esse bonas, quamvis in genere virtutis, propter defectum difficultatis, in infimo gradu.

Tertia (cum pluribus qui dicuntur Thomistae, sed genuinam D. Thomae sententiam de facto non referunt) docet, esse malas (etsi leviter), nisi per actum charitatis ad gloriam Dei dirigantur, quia (aiunt) hoc exigitur ex vero praecepto, dicente Apostolo (*1 Cor. X*): « Sive manducatis, sive bi- « bitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite ». Sed, si vera esset haec doctrina, iam actiones fere omnes essent peccata, et quotquot non sunt in gratia Dei semper peccarent. Dicerem potius cum S. Bonaventura, hoc esse consilium, non vero praeceptum ; et (reiecta hac tertia sententia tamquam nimis rigida) tenendum esse quod actiones praedictae vel sunt bonae ut dicit D. Thomas, vel sunt indifferentes, ut dicit Scotus. Vide Ballerini (*Op. th. Vol. I n. 181 et sqq.*), Génicot (*Vol. I n. 32*), et Lehmkuhl (*Vol. I n. 37 et sqq.*).

ob vanam gloriam; etsi tunc eleemosyna non quatenus talis, sed solum quatenus res facta ex vana gloria, mala esset Cf. mox supra *n. 479* VI). Si autem finis malus non sit unicus, sed simul cum fine pravo adsit etiam finis bonus, tunc sic distinguunt. Si finis sit graviter malus, tunc tota actio mala evadit. (Exemplum habes in studente tractatum de sexto praecepto ex fine se carnaliter delectandi, quamvis simul haberet finem se instruendi ad recte obeundum munus confessarii). Si vero finis esset leviter malus, tunc actio partim bona et partim mala foret; tantummodo scilicet aliqualiter defectuosa evaderet (Exemplum habes in studente ad satisfaciendum muneri proprio, sed etiam ex vana gloria).

ARTICULUS III.

Declaratur utrum actus externus moralitati obnoxius sit.

485. *Actus externus subiacetne moralitati?*

I. Subiacet certe moralitati materiali; actiones enim externae rectum ordinem maxime fovent, si sint bonae (ut patet a bonis exemplis, ab operibus charitatis etc.); et maxime perturbant, si sint malae (ut patet a scandalis, iniuriis etc.).

II. Subiacet certe moralitati formali, quatenus 1° actus externus a voluntate imperatur (unde homini imputatur); 2° opera sive virtuosa sive peccaminosa complet, atque simul cum actu interno quid unum moraliter efformat; unde peccata quae extrinsecus consummantur ab actu externo denominari solent, et tunc in confessione accusari debent. 3° Adde quod actus externus saepe producit obligationes (v. g. restituendi, reparandi damna vel scandalum etc.), quae a solo actu interno non provenirent.

III. Quaestio est an actus externus malitiam vel bonitatem formalem actus interni adaugeat; ita ut qui iam firmiter statuit aliquid mali facere et malum reapse facit, magis peccet quam qui statuit malum facere, sed aliquo impedimento detentus illud non facit? R. Actus externus potest certe esse occasio ut actus internus vividior evadat,

vel repetatur, vel diutius perduret etc.; et hoc sensu illius malitiam adaugere posset (et quidem non parum). Sed si actus externus talis occasio non esset et simplex effectus remaneret, tunc actus interni nullo modo malitiam (vel bonitatem) augeret; actus enim externus non est pars voluntatis, sed quid materiale quod nullius malitiae (vel bonitatis formalis) capax esse potest. Quando itaque homo iam est determinatus ad rem aliquam faciendam, in substantia perinde est ac si illam fecisset, quando scilicet impedimento detentus illam peragere non potuisset. Hinc (*Gen. XXII*) Deus Abraham dixit: « Quia fecisti hanc rem « nec perpercisti filio tuo.... benedicam tibi ». Et (Matth. *5*) D. N. I. Christus dixit: « Qui viderit mulierem ad « concupiscendam eam, iam moechatus est in corde suo ». Unde S. Th. scripsit: « Tantum meretur qui habet volun- « tatem perfectam aliquod bonum faciendi, quantum si « faceret illud ».

TRACTATUS III.

De conscientia

Agendum est 1° De conscientiae essentia et distinctionibus. 2° De conscientia certa. 3° De conscientia incerta inter duo mala. 4° De conscientia incerta inter licitum et illicitum. 5° De conscientia scrupulosa. 6° De conscientia laxa.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIAE ESSENTIA ET DISTINCTIONIBUS.

486. ***Quid est*** *conscientia?* Vox ista duplici sensu accipi solet.

I. Sensu minus proprio accipitur pro habituali bonitate vel malitia voluntatis.

Hinc dici solet, v. g.: Titius est bonae conscientiae, timoratae conscientiae, meticulosae conscientiae etc. Vel e contra: Caius est homo perditae conscientiae, nullius conscientiae, sine conscientia etc.

II. Sensu proprio autem accipitur pro actu intellectus, quo de moralitate (vel immoralitate) actionis a nobis faciendae vel factae iudicamus.

Hinc dici solet, v. g.: Conscientia dictat hoc fieri posse vel fieri non posse: conscientia est tranquilla vel remordet etc. Iudicium istud *dictamen conscientiae* appellatur.

Sic autem (uti patet) in primo sensu de conscientia *habituali;* et in secundo de conscientia *actuali* agitur.

487. *Loquendo de conscientia in secundo sensu, scilicet de conscientia actuali,* ***differtne*** 1° ***a iudicio morali practice-practico;*** 2° ***a iudicio doctri-***

nali practico; 3° ***a iudicio doctrinali speculativo;*** 4° ***a synderesi?***

I. Non differt a *iudicio morali practice-practico,* quia iudicium istud ordinatur ad opus proprium; consistit scilicet in iudicando de moralitate actionis a nobis faciendae vel factae; in quo ad amussim conscientia consistit.

II. Differt a *iudicio doctrinali practico,* quia hoc consistit quidem in iudicando de casu practico (qui scilicet solet in praxi contingere; vel saltem cum circumstantiis, quibus practice contingit, consideratur); sed ita ut non ordinetur ad opus proprium, et quis non pro casu sibi ipsi contingente; sed, de sola veritate sollicitus, rem examinet et iudicium emittat.

Sic magistri, theologi et consiliarii practicorum casuum resolutiones facere solent.

III. Differt multo magis *a iudicio doctrinali speculativo* (seu theorico), quia hoc constitit in iudicando de casu qui practice contingere non solet; vel qui consideratur cum talibus circumstantiis, quae vix unquam sine periculo hallucinationis vel abusus in praxi contingant.

Exemplum habes in doctrina de liceitate osculorum inter sponsos de futuro si sint levia et superficialia etc; de qua doctrina dici solet posse quidem esse veram speculative sed non practice; quandonam enim oscula inter illos erunt levia et superficialia?

IV. Differt denique *a synderesi;* haec enim nihil aliud est nisi habitualis cognitio summorum principiorum moralium, quae primo intuitu et sine ratiocinio per naturalem evidentiam omnibus innotescunt. Exemplum habes in axiomate: *bonum est faciendum, malum est vitandum.*

Hinc syderesis maximam claritatem, stabilitatem et universalitatem comitem habet; est semper in promptu, atque appellatur fons et seminarium subsequentium cognitionum, quae utique dant locum conscientiae; ad synderesim enim principia, ad conscientiam vero conclusiones spectant. Sic dum sinderesis dicit: *malum est vitandum,* conscientia subdit, v. g. *ergo hoc mendacium, ergo hoc adulterium etc. a me vitari debet.*

488. *Quaenam sunt principales* ***conscientiae distinctiones?***

Prima distinctio est illa, quam mox supra indicavi,

quatenus scilicet alia est conscientia *actualis*, et alia conscientia *habitualis*.

Conscientia actualis plures habet subdistinctiones, potest enim esse 1° *Obligans*, vel *consulens* vel *permittens*; 2° *Antecedens*, vel *subsequens*; 3° *Certa* vel *incerta*, vel *dubia*, vel *suspicans*, vel *opinans*; 4° *Perplexa*; 5° *Probabilis*; 6° *Recta* vel *erronea*.

Conscientia habitualis plures illa quoque habet subdistinctiones; potest enim esse *bona*, *mala*, *tenera*, *stricta*, *scrupulosa*, *laxa*, *pharisaica*, et *cauteriata*. Sed haec sunt explicanda.

489. *Explica distinctionem inter conscientiam* ***obligantem, permittentem et consulentem.***

Obligans est quae dictat rem aliquam esse faciendam, vel ab illa esse abstinendum.

Permittens et quae dictat rem aliquam esse licitam.

Consulens est quae dictat rem aliquam esse meliorem et sub consilio cadere.

490. *Explica distinctionem inter conscientiam* ***antecedentem et subsequentem.***

Antecedens (vel *concomitans*) antecedit vel comitatur actum, et proinde in eiusdem moralitatem formalem influit.

Subsequens vero actum ipsum subsequitur, et potest esse *tranquilla* vel *turbata*.

Turbata autem triplici modo esse potest. Primus est quando post malum formaliter commissum conscientia iterum remordet. Secundus est quando post malum materialiter et bona fide commissum quis cognoscit se male egisse (prout contingere solet, v. g. in iis qui, ignorando esse vigiliam, carnem manducant, et postea vigiliam esse addiscunt). Tertius est quando quis post recte factum inani aliqua ratione turbatur.

Conscientia subsequens (uti patet) in actus moralitatem formalem nihil influit; et proinde de illa in tractatu isto (sine speciali indicatione) loqui non intendo.

Notandum solum quod rudes qui credere solent se peccasse et confiteri debere, etiam quando bona fide processerunt, si postea de actionis malitia certiores evaserint, de hoc errore ordinarie sunt admonendi.

491. *Explica distinctionem inter conscientiam* ***certam et incertam.***

Conscientia dicitur *certa*, quando quis absque formidine errandi, firmiter scilicet et cum perfecta quiete intellectus, iudicat rem tali vel tali modo se habere, nempe esse licitam vel illicitam Dicitur autem *incerta*, quando intellectus iudicium nullum aut non ita firmum efformare potest.

492. *Explica distinctiones conscientiae* ***dubiae, suspicantis et opinantis.*** Hae sunt subdistinctiones conscientiae incertae. Conscientia enim incerta dicitur *dubia*, quando intellectus non inclinat magis ad unam quam ad aliam partem; quod accidere potest dupliciter, scilicet 1° quia nec pro una, nec pro alia parte ulla ratio appareat; 2° quia rationes quidem pro utraque parte appareant, sed omnino videantur aequales. In primo casu dubium *negativum* et in secundo *positivum* appellari deberet. Cf. Ballerini (*Op. th. II. 53*).

Dico *deberet;* hodierni enim theologi, genuinam dubii notionem destruentes, dubium negativum et positivum aliter definiunt cum S. Lig., qui (*I 20*) dicit: « *Negativum* est quando ex neutra parte occurrunt ra-« tiones probabiles, sed tantum leves. *Positivum* est quando pro utraque « parte, vel saltem pro una, adest grave motivum, sufficiens ad formandam « conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito; ideo dubium « positivum fere semper coincidit cum opinione probabili ».

Dicitur *suspicans*, quando intellectus levem inclinationem habeat pro una parte (utique ex levi vel levissimo motivo).

Dicitur *opinans*, quando intellectus ex motivo gravi ad unam partem magis propendet, cui proinde adhaeret, etsi cum formidine de opposito. Ballerini (*l. c.*).

493. *Quandonam conscientia dicitur* ***perplexa?***

Etsi perplexitas contingere possit in quacumque materia, toties quoties homo suspensus et anceps remanet nesciens pro qua ex duabus partibus se resolvat; tamen theologi conscientiam esse perplexam dicunt solum quando perplexitas proveniat ex malo quod ex utraque parte conspiciatur; ut puta, si quis debens assistere infirmo et audire missam, perplexus remaneat an infirmum an vero potius missam deserere licite possit.

Perplexitas autem diversa est a dubio; qui enim dubitat nescit distinguere an aliquid sit bonum vel malum; qui vero est perplexus nequit se resolvere inter duo mala.

494. *Explica distinctionem inter conscientiam* ***rectam et erroneam?***

Haec distinctio communius usurpatur ad significandum an conscientia, quam quis sibi efformat, rei veritati correspondeat (quo casu dicitur *recta*), vel non correspondeat (quo casu dicitur *erronea*).

Erronea autem esse potest credendo 1° esse licitum vel praeceptum quod est illicitum (credit, v. g. quis se posse vel debere furari ad subveniendum pauperi); 2° esse illicitum quod est licitum vel praeceptum (credit, v. g. quis esse illicitam compensationem iustam, quam facere posset vel etiam deberet); 3° esse melius quod melius non est (credit, v. g. quis esse melius orare quam assistere infirmo indigenti). Insuper conscientia potest esse erronea *vincibiliter* aut *invincibiliter*, secundum quod errorem cognoscere possibile vel impossibile sit, iuxta supra dicta (*n. 386 et sqq.*).

Notandum quod conscientia interdum dicitur recta alio sensu, scilicet ad significandam conscientiam habitualiter bonam; unde dicimus, v. g.: Titius est homo conscientiae rectae, habet rectitudinem conscientiae etc. Hoc sensu autem conscientia posset esse recta quamvis erronea foret.

Ad evitandam huius duplicis sensus aequivocationem, aliqui theologi dicunt esse distinguendum non inter conscientiam rectam et erroneam; bene vero inter conscientiam *veram* et erroneam. Sed in verbis technicis mutationes facere non expedit.

495. *Veniendo nunc ad declarandas distinctiones conscientiae habitualis et improprie dictae, explica quid sit conscientia* ***bona, mala, tenera, stricta, scrupulosa, laxa, pharisaica et cauteriata?***

I. Est *bona* vel *mala* secundum quod homo iuxta vel contra conscientiam obligantem se gerere, et sic a peccato formali abstinere vel non abstinere solet. Conscientia bona dicitur etiam *timorata* vel *meticulosa;* et homo bonae conscienliae *conscientiosus* appellatur.

II. Dicitur *tenera* (seu *delicata*) quando quis cavere solet etiam a levissimis defectibus, qui tamen reapse sint defectus, non vero scrupuli.

III. Dicitur *stricta* quando quis in rebus opinabilibus partem rigidiorem amplecti solet, neque benigniorem sententiam tenere audet; aut facile mortale peccatum esse credit quod reapse veniale tantummodo existimari potest.

IV. Dicitur *scrupulosa*, quando quis inanibus prorsus aut nimis levibus rationibus ductus formidare solet de peccato, ubi peccatum certe non adest.

V. E contra dicitur *laxa*, quando quis inanibus prorsus aut nimis levibus rationibus ductus iudicare solet esse licitum aut leve quod certe vel probabilissime illicitum aut grave est.

VI. Dicitur *pharisaica* quando quis magna parvi, et parva magni facit. Sic appellatur a Pharisaeis, qui dicuntur (*Matth. XXIII. 24*) *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Est quid mixtum ex conscientia laxa et scrupulosa.

VII. Dicitur demum *cauteriata* (vel *sopita*, vel *indurata*), quando quis propter maximam et diuturnam perversitatem remorsum amplius non experitur, et peccata mortalia fere pro nihilo habet.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA CERTA.

496. *Conscientia* ***quot modis potest esse certa?***

Potest esse vel evadere certa certitudine metaphysica, physica, et morali; item certitudine perfecta et imperfecta; denique certitudine directa et indirecta.

Certitudo *metaphysica* fundatur in rationibus ita evidentibus ut absolute repugnet rem aliter esse; ut puta, dum conscientia dictat quod odio habere aut blasphemare Deum est peccatum.

Certitudo *physica* fundatur in legibus naturae physicae, ut puta, si quis conscientiam habeat se hominem occidere, eo quod oculis suis hominem videat, et contra illum sclopum explodat.

Certitudo *moralis* fundatur in modo constanti quo homines se gerere solent in talibus vel talibus circumstantiis; quia scilicet in iisdem non solent errare, non solent decipere etc. Certitudo ista potest esse *perfecta* (ut puta, si sacerdos pro certo habeat vinum, quod adhibet pro missa esse verum merumque vinum, quia personae sibi notissi-

mae et fide dignissimae illud ex uva de vite confecerunt atque pro missis tradiderunt); *imperfecta,* sed in sufficienti praesumptione fundata (ut puta, si sacerdos pro certo habeat vinum, quod pro missa in ecclesiis ei datur, vere esse vinum). Sed casus frequentissimus, in quo certitudo moralis (sive perfecta sive saltem imperfecta) locum habet, contingit in doctrinis, quae, etsi evidentiam metaphysicam non praeseferant, tamen tale ac tantum rationis et auctoritatis fundamentum habent, ut falsitas sin minus impossibilis saltem difficillima sit.

Denique certitudo dicitur *directa* si per argumenta materiae intrinseca; *indirecta* vero si ex principio aliquo extrinseco acquiratur.

Dubitat v. g. quis an talis vel talis obligatio adsit. Examinat verba legis et clare invenit legem ad illum casum non extendi. En certidudo acquisita directe.

Si autem, examinando verba legis, in dubio remaneret; adhuc posset ad certitudinem pervenire per aliquod principium *reflexum* (quod dicitur etiam *subsidiarium*), et decidere vel obligationem omnino adesse, vel pro libertate stari posse. Principia huiusmodi sunt multa, et quaedam valent pro dubiis *facti* (v. g. *obligationi certae non satisfit solutione incerta*); quaedam autem valent pro dubiis *iuris* (v. g. *lex stricte dubia non obligat*); iuxta explicationes quas mox infra exponam.

497. *An conscientia* ***erronea possit esse certa?***

Affirmative, si sit erronea hic et nunc invincibiliter; ita scilicet ut de falsa persuasione nullum dubium habeatur. Subinde enim accidit quod quis (sive a se ipso hallucinatus sive ab aliis deceptus) pro certo habeat esse verum quod est falsum.

Exemplum habes in confessario, qui sine scientia sufficienti confessiones audiat, dum de defectu isto nullatenus dubitet hic et nunc. Dico *hic et nunc;* conscientia enim potest esse certa et invincibiliter erronea hic et nunc, quamvis antea talis non fuisset. Casus contingeret in dicto confessario, qui, etsi hic et nunc de insufficientia sua nullatenus dubitaret, tamen antea dubitasset, nunc autem non

dubitaret, sive quia non reflecteret, sive quia se scientiam sufficientem iam habere falso sibi postea persuasisset.

498. *Quaenam sunt* ***principia generalia circa conscientiam certam ?*** Sunt duo.

I. Conscientia certa, si sit obligans (scilicet praecipiens aut vetans), sequi debet. Intellige dummodo illam sequi possibile sit ; ad impossibile enim nemo teneri potest.

II. Conscientia certa, si sit permittens, sequi potest.

In utroque casu autem perinde est sive sit recta, sive sit erronea hic et nunc invincibiliter.

499. *Cur conscientia certa obligans sequi debet, sive sit recta, sive sit erronea, et quidem sive etiam sit ita erronea, ut dictet rem illicitam esse praeceptam ?*

I. Quia necessarium est prorsus ut unusquisque conscientiam suam, quae obligationem esse certam dictet, sequatur ; idque quamvis esset erronea (dummodo invincibiliter); homo enim veritatem ab errore *invincibili* distinguere non potest ; neque expedit ut, propter possibilitatem erroris aut etiam alicuius peccati materialis, homo relinquatur ita liber ut conscientiae suae certam obligationem recognoscenti obtemperare non teneatur. Conscientia quippe gerit officium praeconis legem intimantis, cui subditi obedire deberent, quamvis ille, iis ignorantibus, contra voluntatem legislatoris legem intimaret.

II. Quia, dum quis agit contra conscientiam obligantem, iam ex hoc ipso voluntatem peccandi habet.

III. Quia Apostolus (*Rom. XIV. 23*) scripsit : « Omne « quod non est ex fide (*quod intelligitur ; iuxta conscien-* « *tiam*) peccatum est ».

Hinc, v. g. adesset obligatio non solum adimplendi votum invalidum (si credatur validum), aut observandi ieiunium vel festum existimatum ; sed etiam accedendi ad non suam casu quo matrimonium inscienter fuisset invalidum et putata uxor debitum peteret.

Qui autem contra conscientiam erroneam sive praecipientem sive vetantem procedit (v. g. negando debitum putatae uxori, vel tunc rem habendo cum alia), perinde est ac si peccatum contra conscientiam rectam committeret ; unde haec differentia speciem non mutat, neque circumstantiam in confessione necessario explicandam constituit. Cf. Ballerini (*Op. th. Tr. II. 48. 49*).

500. *Dixisti quod agere contra conscientiam erroneam non licet ; sed quid de rudibus qui se accusant de*

peccatis, dum revera, propter impossibilitatem aliter faciendi, vel propter gravem difficultatem, a culpa excusantur? Estne credendum quod contra conscientiam erroneam obligantem vere deliquerint?

Interdum agitur de conscientia non solum erronea sed mere consequenti; ut puta, si quis credat se peccasse propter distractiones aut imaginationes involuntarias et prorsus inculpabiles (in oratione), vel propter somnia turpia vel motus carnales absque culpa contingentes, aut propter plasphemias auditas, aut res casu et mere visas, aut occasiones inadvertenter aliis datas blasphemandi vel iram concipiendi etc. In huiusmodi casibus manifestum est quod homo errat quidem (talem conscientiam habendo), sed non peccat; tunc enim conscientia (utpote consequens) in actionem nullatenus influit (1).

Etsi autem ageretur de conscientia antecedenti vel concomitante, in casu absolutae impossibilitatis (ut puta, si quis inclusus in carcere, aut incapax prorsus propter morbum, ad Missam se conferre non potuerit) certe culpa adesse nequiret; nequit enim adesse peccatum sine libertate. Idem dic si quis crederet se peccare in casu strictae perplexitatis. Si autem non de impossibilitate, sed solum de gravi difficultate (v. g. ad Missam se conferendi), ageretur; tunc accidere potest quod rudes ex conscientia erronea se non excusari (dum revera excusarentur) existiment, et sic reapse peccent. Ut plurimum tamen se accusant de peccato ex falsa idea peccati, et non quia formaliter peccaverint (non quia scilicet vere crediderint Deum exigere ut illud incommodum subirent, et proinde Deum offendisse et poenas meruisse etc.); sed solum quia materialem illam omissionem vel actionem apposuerint, quae solet dici peccatum, atque ideo in confessione accusandam esse ineptissime reputant.

501. *Loquendo nunc de secundo principio supra exposito (n. 498), cur conscientia certa, si sit permit-*

(1) Huiusmodi rudes (ne sic inaniter timeant) instruendi sunt; sed prudenter, ne forte, audiendo haec nihil mali esse, in extremum oppositum abeant, negligentes evadant, cautelas non adhibeant etc.

tens, sequi potest, quamvis ex ignorantia invincibili erronea esset? Quia, deficiente cognitione malitiae, culpa adesse nequit.

502. *Quomodo cognoscitur quod aliquis de actionis liceitate erronee conscientiam vere certam habuerit?*

Primum signum erit si quis conscius sibi sit, vel asseveranter fateatur se nullum dubium habuisse, nullam indecentiam perspexisse, nullum remorsum sensisse, nullamque turbationem expertum fuisse. A fortiori si insuper fateatur conscientiam sibi non suggessisse, confessarium aut aliquem alium esse interrogandum ; vel dicat se, cognita veritate, facti sui displicentiam habuisse, et quod prius ignoranter fecit non amplius fecisse ; idque maxime si persona sit meticulosae conscientiae, aut valde rudis, aut adhuc in tenera aetate ; et speciatim si agatur de re non obvia, cuius malitia communiter non cognoscatur atque (ut vulgo dicitur) oculos non percellat etc. Usque ad quemnam gradum autem dari possit ignorantia invincibilis, declaratum fuit supra (*n. 140*).

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA INCERTA INTER DUO MALA.

503. *Quotupliciter hic casus contingere potest?* Duobus modis : 1° Si inter duo mala vel pericula adsit necessitas unum eligendi. 2° Si talis necessitas minime adsit.

504. *Quid si adsit necessitas unum eligendi?*

Si sint aut omnino videantur *aequalia*, tunc contingit casus strictae **perplexitatis,** quem indicavi supra (*n. 492*), et exemplum habes in medico, qui, etsi non temere officium suum acceptaverit atque exerceat, nihilominus versetur in dubio utrum talem vel talem medicinam porrigere, an vero ab illa porrigenda abstinere debeat; quatenus aequale periculum ex utraque parte conspiciat : nec bivium declinandi modus ei suppetat.

In casu huiusmodi *potest facere prout vult ;* et, quamvis ex conscientia erronea, sive unam sive aliam partem

eligendo, male facere et peccare crederet, revera non peccaret; necessitas enim peccandi minime datur.

Si autem mala aut pericula essent aut viderentur *inaequalia*, supposita semper necessitate unum eligendi, malum quod minus videretur eligi deberet.

505. *Quid si non adesset necessitas ineluctabilis unum ex duobus malis eligendi absque mora?*

Tunc contingere potest quod vera adsit obligatio determinationem suspendendi.

Exemplum esset in medico, qui, perplexus an talem medicinam dare vel non dare deberet, sat facile, sive studendo sive consilium petendo, dubium resolvere posset. Si autem, his mediis neglectis, medicinam sive daret sive non daret, semper peccaret; semper enim periculose procederet dum tuto vel minus periculose procedere commode posset.

Dixi *commode;* si enim medium quidem evitandi aut imminuendi periculum adesset, sed valde incommodum foret, tunc obligatio illud adhibendi modo aderit et modo non aderit. Sic, v. g. medicus scientia sufficienti praeditus utique non teneretur Vindobonam se conferre, ut cum aliquo medico insigni de modo se gerendi conferentiam haberet. E contra medicus qui passim in perplexitate versaretur, quique scientia sufficienti destitueretur, ad officium etiam renunciandum, non obstante suo gravi vel gravissimo incommodo, teneri posset.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA INCERTA INTER LICITUM ET ILLICITUM.

506. *Qui dubitat an id quod facere vellet sit licitum vel illicitum,* ***quo modo se gerere debet?*** Facere debet *inquisitiones* moraliter possibiles et rei gravitati proportionatas; secus enim, dum illas praemittere atque interim a parte tuta stare posset, iam temere procederet, et sine iusta excusatione rem vetitam committendi periculo se exponeret. Haec est ratio et hic est sensus doctrinae (utique communissimae et verissimae) dicentis, **cum dubio practice-practico ad actum procedi non posse.**

507. ***Inquisitiones*** *istae in quo consistunt?*

Quoad *dubia iuris*, consistunt in inquirendo de ratione et auctoritate.

Inquiritur *de ratione*, investigando an adsit lex, quae ad casum de quo agitur praecise extendatur.

Inquiritur *de auctoritate*, consulendo viros doctos vel auctores, qui legem investigaverunt, atque de illius existentia vel non existentia proprium iudicium exprimunt.

Quoad *dubia facti*, in quo consistant inquisitiones unusquisque cognoscit.

508. *Si,* ***factis quoque inquisitionibus,*** *incertitudo plus vel minus remaneret, tunc poteritne stari pro libertate, an vero a parte tuta standum erit, sive semper sive aliquando?*

Hic facile interveniunt collisiones legum et principiorum; et imprimis adest lex naturalis standi a parte tuta, sed simul adest alia lex (pariter naturalis) non gravandi homines nimiis obligationibus; qui enim nimis emungit elicit sanguinem, essetque onus intolerabile si ultra tot leges certas, aliae quoque plus vel minus incertae (utique innumerabiles) observari deberent. Ex hac autem principiorum collisione provenit quod in plurimis quidem casibus stari possit pro libertate, sed in quibusdam aliis pro lege et a parte tuta standum sit.

Omnes norunt quantum a theologis in hac materia scriptum fuerit. Quanta sententiarum discrepantia, quanta confusio, quanta obscuritas! (Rosmini dicebat hoc esse theologiae moralis mysterium). Nec desunt doctrinae perniciossissimae, cuiusmodi sunt rigorismus et laxismus.

Evolvere in tota sua amplitudine argumentum istud non est mihi animus. Taediosissimus evaderem; et plura volumina exigerentur. Breviter tamen et solum pro quanto ad practicam utilitatem deservit, sententiam meam claris verbis exponam.

Distinctio principalis est inter *dubia iuris* et *dubia facti*; si nempe dubium solvi nequeat directe, videndum quo modo solvi possit indirecte 1° si dubium sit iuris; 2° si dubium sit facti.

ARTICULUS I.

De modo quo solvi possunt indirecte dubia iuris et de usu probabilitatis.

509. Ad iudicandum quod practice aliquid sit licitum, considerare oportet an opinio pro licito (quae dicitur *benigna,* seu *deobligans*) sit probabilis, et in quonam gradu.

510. *Quinam sunt* ***gradus probabilitatis?***

Opinio deobligans potest esse 1° *probabilissima*, maximo scilicet rationis et auctoritatis fundamento innixa, quamvis de opposito dubium (ordinarie leve vel levissimum) adhuc patiatur.

Supponendo autem quod opinio comparetur cum alia (prout saepissime contingit), tunc opinio benigna potest esse 2° *probabilior*, nempe, in comparatione contrariae obligantis, certe solidioribus fundamentis innixa.

Potest esse 3° *aeque probabilis;* nempe solide quidem probabilis, sed aeque ac contraria.

Ad illam reducitur opinio *fere aeque* probabilis; in rebus moralibus enim differentia exigua non consideratur, et parum pro nihilo reputatur.

Potest esse 4° *minus probabilis.* Intellige *valde minus;* secus enim fere aeque probabilis esset.

Notant quod ad opinionem valde minus probabilem reducitur opinio *certe minus* probabilis; non enim differentia erit certa, nisi sit etiam magna.

Denique potest esse 4° *tenuiter probabilis;* si nempe non solido et gravi, sed debili et levi fundamento innitatur.

Ad hanc autem reduceretur opinio, quae non certe sed *dubie probabilis* esset.

Ordinarie autem opinioni tenuiter probabili opponitur probabilissima. Dico *ordinarie*, quia interdum dantur opiniones contrariae quae ambae in rationibus fortissimis fundantur, et quarum una probabilissima, alia vero solide probabilis vel ipsa quoque probabilissima videtur. Exemplum habes in quaestione an iudex iuxta allegata et probata possit condemnare illum, quem esse innocentem scientia sua privata cognoscit.

511. *Potestne practice sequi opinio probabilis* ***in omnibus et singulis his gradibus?***

Potest certe sequi opinio 1° probabilissima; 2° probabilior; 3° aeque vel fere aeque probabilis; sed non potest sequi opinio tenuiter probabilis, et nequidem valde minus probabilis. Haec sunt probanda et explicanda.

512. *Quomodo probatur quod certe possit sequi opinio* 1° *probabilissima*; 2° *probabilior*; 3° *aeque vel fere aeque probabilis?*

Quod possit sequi opinio probabilissima (contra tutiorismum absolutum, quod paucissimi cum Sinicchio tenuerunt, et docuerunt semper standum esse a parte tuta, imo tutissima) iam definitum fuit a S. Sede, ut patet ex propositione damnata ab Alexandro VIII, quae dicebat: « Non « licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilis- « simam ».

Quod sequi possit opinio probabilior (contra tutiorismum mitigatum, quod usum quidem probabilissimae sed non probabilioris admittebat), patet nedum a theologis probabilistis (utique innumeris), sed etiam ab illis qui probabiliorismum profitentur.

Quod denique possit sequi opinio aeque vel fere aeque probabilis, patet nedum a dictis probabilistis, sed etiam a S. Ligorio, maxime vero a testimonio S. Sedis, quae illius doctrinam adeo solemniter (ut paulo infra videbimus) approbavit.

Quod autem opiniones probabilissimae, probabiliores, et aeque probabiles teneri possint, patet etiam quia secus (ut paullo ante innuebam) onus nimis grave hominibus imponeretur, via salutis nimis difficilis redderetur, et lex non in aedificationem sed in destructionem esset.

513. *Quomodo probatur quod opiniones tenuiter probabiles sequi non possunt?*

Hoc iam definitum fuit a S. Sede, quandoquidem Innocentius XI damnavit sequentem propositionem: « Generatim, « dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quan- « tumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, « confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus ». Et Alexander VIII damnavit aliam propositionem quae dicebat: « Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet

« opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam « fuisse a S. Sede Apostolica tamquam improbabilem ».

Sensus autem harum propositionum erat approbandi in dubio iuris usum probabilitatis *etiam tenuis*, et sustinendi quod si opinio aliquo modo (et proinde etiam non solide, non graviter, non certe, non prudenter etc.) dici posset probabilis, id sufficeret.

514. *Quomodo probatur quod nequidem opiniones valde minus probabiles, et tamquam tales ab ipso operante cognitae, sequi possunt?*

Probatur I. ex Innocentio XI; quum enim tunc P. Thirsus Gonzales scripsisset contra liceitatem sequendi opiniones, quae tamquam minus probabiles ab ipso operante cognitae et iudicatae fuerint; et quum multas oppositiones invenisset, S. C. S. Officii (*Decr. 26 Iun. 1680*) iussu eiusdem Pontificis scripsit: « Sanctitas sua... mandavit ut « ipse (P. Thirsus)... viriliter impugnet sententiam eorum, « qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinio- « nis cum probabiliori sic cognita et iudicata, licitum sit « sequi minus probabilem » (Apud *Civilitatem Catholicam an. 1902 Vol. VII. Ser. XVIII pag. 577*).

Probatur II. Quia casus, in quibus minor probabilitas iam sit certa atque ipsi operanti cognita, sunt pauci, et proinde recedendi a parte tuta seque in periculum coniiciendi nulla adest necessitas; quae sola excusare posset.

Probatur III. Quia probabilitas certe minor seu (ut dixi) valde minor, practice vix unquam poterit esse solida; unde nimium aderit periculum sequendi quoque opiniones, quae tenuiter dumtaxat (vel etiam nullatenus) sint probabiles.

Probatur IV. Quia in casibus huiusmodi conscientia boni christiani vix unquam tranquilla esse posset.

Probatur V. Quia haec est sententia S. Ligorii; ut patet ex illius systemate morali, atque ex sequentibus eiusdem (utique clarissimis) verbis.

« Dico quod, si opinio quae stat pro lege videatur « certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec « possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, am- « plecti » *Theologia* (*Lib. I. n. 55*).

« Ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus « probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe

« probabilior; hanc sententiam elapsi saeculi auctores quasi « communiter tenuere; sed nos dicimus eam esse laxam, « et licite amplecti non posse » *Homo Ap.* (*Ed. III*).

Et in epistola ad P. Villani scripsit: « Sicut scru- « pulum haberem concedendi facultatem confessionum au- « diendarum ei qui sequi vellet P. Patuzzi *(probabiliori- « stam)*; ita scrupulum haberem permittendi ut confessio- « nes audiret aliquis ex nostris, qui opinionem benignam « tamquam minus probabilem certe cognitam sequi vellet ».

Millies autem dixit quod, ut sequi possit opinio in favorem libertatis, oportet ut saltem sit probabilis aeque vel fere aeque ac sua contraria, et quod principium *lex dubia non obligat* (de quo mox infra sermo redibit) valet solum si de dubio stricto intelligatur; non vero si praeponderantia in favorem legis esset magna, quia tunc practice lex ipsa tamquam moraliter certa considerari deberet.

Sic v. g. in opere cui titulus *Dell' uso moderato dell'opinione probabile Cap. I. n. 2* dixit: *Neppure può seguirsi l'opinione che stà per la libertà quando ella è molto meno probabile o è certamente meno probabile dell' opinione che stà per la legge: poichè, quando l' opinione benigna apparisce certamente meno probabile, è segno che la probabilità, la quale assiste all'opinione più rigida, è molto preponderante; ed in tal caso la legge non è più dubbia con dubbio stretto, ma è moralmente o quasi moralmente certa, e come tale obbliga. Tutta la questione adunque si riduce a vedere se sia lecito seguire l'opinione benigna, che è ugualmente o quasi ugualmente probabile.*

Probatur denique VI ex approbationibus solemnissimis et notissimis, quas S. Sedes operibus et doctrinis S. Ligorii praestitit.

In decreto super concessionem tituli doctoris legitur: « Quum inter implexas theologorum sive laxiores sive ri- « gidiores sententias tutam straverit viam, per quam « christifidelium animarum moderatores inoffenso pede in- « cedere possent.... ».

Leo XIII in litteris ad P. Duiardin scripsit: « Ne « quid dicamus de morali theologia ubique terrarum cele- « bratissima, tutamque plene praebente normam, quam « conscientiae moderatores sequantur.... ».

S. Poenitentiaria interrogata fuit:: 1° *Utrum sacrae theologiae professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit*

et profiteri? 2° An sit inquietandus confessarius, qui omnes B. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri poenitentiae tribunalis, hac sola ratione quod a S. Sede Apostolica nihil in operibus censura dignum repertum fuerit? (Confessarius de quo in dubio non legit opera Beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere, eo ipso quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter iudicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam).

Responsio autem (*5 Iul. 1831*) fuit sequens: Ad I.[m] *Affirmative; quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.*

Ad II.[m] *Negative; habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei, ad effectum canonizationis.*

Sed nunquid S. Sedes in documentis hucusque expositis sic dicere potuisset, si doctrina principalis, quae eiusdem S. Doctoris generale systema efformat, non iam tutam sterneret viam, sed a professoribus atque a confessariis in praxi teneri non posset? (1).

(1) Quod tamen *omnes* S. Ligorii opiniones teneri possint non adeo absolute intelligi debet, ut nulla prorsus exceptio facienda sit. Sensus enim S. Poenitentiariae non fuit declarandi, omnes et singulas S. Doctoris opiniones esse doctrinam veram, quasi forent totidem definitiones emissae a Papa ex cathedra, et proinde infallibiles, unde nullus error unquam inveniri possit. Equidem S. Sedes dixit etiam, in operibus S. Doctoris nihil censurae dignum inventum fuisse; sed quod aliqui errores adsint, vel in posterum reperiri possint, non efficit ut opera ipsa sint censurâ digna. Quando autem aliquis error iam manifeste repertus fuerit, utique mens S. Poenitentiariae nec fuit nec esse potuit, ut unusquisque posset tuto (utique contra legem Dei vel Ecclesiae) illum sequi. Hinc apud Acta S. Sedis (*I pag. 501*) legitur: « Ex eadem particula *tuto* non bene quis inferet, « licere cuilibet S. Alphonsi opiniones sequi, quamvis cognoscat, sive ex « scientia propria sive ex competenti auctoritate, opinionem quam sequi« tur esse evidenter falsam, nullaque amplius probabilitate gaudere ». Certissimum est autem quod opiniones aliquae iam tamquam omnino falsae repertae fuerunt. S. Ligorius docuit v. g. confessarium qui ficte complicem absolvit non incurrere excommunicationem: item non esse denuntiandum confessarium qui sollicitationi consensit; quae equidem doctrinae authenticis S. Sedis declarationibus sunt contrariae; et proinde nec tuto nec ullo modo teneri possunt.

515. *Doctrina quae dicit non posse sequi opinionem benignam quando opinio pro lege est certe probabilior, traditurne solum a S. Ligorio, an vero tradebatur etiam ab aliis probatis auctoribus ante illum?* Tradebatur certe etiam ab aliis, inter quos Suarez (*De legib. VIII.* III *19*) dixit : « Maior probabilitas est quaedam moralis certitudo, « si excessus probabilitatis certus sit ». Imo tamquam certa tenebatur, dicente Rebello (*an. 168 De iust. et iur. Fundam. introd. n. 9*): « Certum est, neminem salva « conscientia, sequi posse opinionem, quae minus proba- « bilis esse ab ipso cognoscatur »; atque tunc erat doctrina *communis*, teste Lopez (*Instruct. P. I C. 120 concl. 2*): « Scio communem esse sententiam Soti, Cordubae, Caie- « tani, Conradi, Navarri tenentium non sat esse probabilem « opinionem sequi, sed probabiliorem opinionem esse sec- « tandam, contra Medinam dicentem satis esse sequi pro- « babilem ».

516. *Quid ergo de principio*: ***Lex dubia non obligat?*** *Nonne est certissimum, inconcussum, et tale ut (si vere agatur de solo dubio iuris) nullam exceptionem patiatur, et proinde valeat etiam quando pro legis existentia longe seu certe maior adsit probabilitas?*

Principium istud, quod ab antiquis theologis nullatenus recognoscebatur (1), neque certissimum neque inconcussum est ; imo fuit semper cardo controversiae inter probabilistas, et probabilioristas atque tutioristas mitigatos.

Nec profecto valet dicere quod ad legis validitatem exigitur promulgatio, quae in dubio non subsisteret. Non (inquam) valet sic dicere ; dubia enim saepe erroribus atque interpretationibus falsis, non vero defectui promulgationis

(1) D. Thomas (*Quodl. IX.* XV) agens de quaestione tunc controversa, *an liceat habere simul plures praebendas*, scripsit : « Omnis quaestio in « qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, peri- « culose determinatur....: praecipue autem periculosum est, ubi veritas « ambigua est, quod in hac quaestione accidit ; cum enim haec quaestio « ad theologos pertineat et iuristas, inveniuntur in ea theologi theologis, « et iuristae iuristis contraria sentire ». Sed si D. Thomas tamquam certum et inconcussum habuisset principium *lex dubia non obligat*, quid periculi in decisione videre potuisset ? Nonne uno verbo et pro licito quaestionem solvisset ?

attribui debent. Exempla sunt innumera. In lege v. g. contra absolventes complicem, pro casibus in quibus vel sola turpiloquia intervenissent, vel absolutio data fuisset ficte, olim dubitabatur an lex ad casus istos extenderetur, quod hodie iam certissimum est. Sed nunquid tunc ad casus eosdem promulgatio revera non extendebatur?

Nihil itaque vetat quominus principium istud (*lex dubia non obligat*) subiiciatur exceptioni quando probabilitas certe maior in legis favorem militet.

517. *Adestne* ***magna differentia*** *inter aequiprobabilismum (de quo loquimur) et simplicem probabilismum?* Negative; sed haec duo systemata si recto sensu atque in suis veris terminis intelligantur et applicentur, practice fere confunduntur; pauci enim (ut dixi mox supra *n. 514 II*) sunt casus in quibus opinio benigna ex una parte sit solide probabilis et ex alia multo minus probabilis sit: unde ipse S. Ligorius in decursu operis ordinarie quidem iudicat de particularium opinionum probabilitate vel etiam de maiori vel minori probabilitate, sed raro decernit quando haec ipsa probabilitas tamquam *certe* maior, vel *certe* minor habenda sit. Attamen in systemate distinctio ad accurate loquendum, maxime vero tamquam advertentia necessaria ut a laxismo caveatur, exigitur.

518. *Quandonam confessarius opinionem aliquam tamquam practice probabilem habere poterit?*

Secluso casu in quo positive cognovisset esse falsam aut longe minus probabilem, illam tamquam practice probabilem habere poterit, nedum si sciret teneri a pluribus auctoribus probatis, sed etiam si id unum sciret quod est sententia illius auctoris (probati, scilicet valde existimati), quem apud se habet illoque solo (prout multi faciunt) utitur. Idem dic si consuluisset virum in re morali publica aestimatione gaudentem eiusque consilio staret. Publica quippe existimatio est oculus publicus qui mille et mille oculis componitur et difficile fallitur; qui enim frequenter errat publica existimatione gaudere non potest.

Hinc S. Antoninus scripsit: « Quilibet potest sequi quamcumque « opinionem, dummodo alicuius doctoris magni opinionem sequatur ».

Nec obest si confessarius longe minus doctus, quam auctor aut vir consultus, intra se contra sentiret, dicente S. Thoma (*2. 2 IV.* VIII *ad 8*):

« Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo « scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur ».

Item non obest si doctrina, quae in libro prostat, sit contra communem aliorum sententiam, dummodo auctor ex una parte sit probatus (ut dixi) : et ex alia satis constet quod non ex lapsu calami, sed consulto communi opinioni se opposuerit. Aliquae enim dantur opiniones communes quae ab alicuius antiqui doctoris errore provenerunt, quem alii omnes sicut oves secuti fuerunt, ut notat Sanchez (*Oec. I.* xx *9*). Si tamen singularis alicuius auctoris doctrina falsa recognita fuisset, utique tunc sequi nequiret.

Denique non obstaret si auctor vel consiliarius aliquando errasset; quisnam enim infallibilis est? S. Ligorius plures suas doctrinas, retractavit ; sed nunquid adhuc probatissimus non est? Ille autem (*Diss. sull'uso moderato ecc.*) postquam dixerit quod doctus aliquando debet etiam observare rationes a theologis adductas, statim subiunxit nisi *prudenter praesumat ab illis examinatas*. Sed si auctor vel consiliarius consultus communi existimatione vere gaudeat nec facile erret, iam (non obstantibus aliquibus erroribus repertis) semper praesumendum erit quod solidis rationibus et fundamentis innixus fuerit, ut bene observant Sanchez (*Dec. I.* IX *8*) et Frassinetti (*Diss. II 32*); idque infertur etiam ex responso S. Poenitentiariae (*5 Iul. 1831*) supra (*n. 514*) relato.

Obstaret itaque solum si auctor aut consiliarius confidentiam non mereretur, vel si ageretur de illis casibus praecise, in quibus iam manifeste errasset, ut dixi.

Hoc et non alio sensu damnata fuit propositio quae dicebat : « Si « liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, « dum non constet reiectum esse a Sede Apostolica ».

519. *Danturne casus exceptionales, in quibus sequi possint opiniones valde minus probabiles, vel etiam tenuiter probabiles, dummodo scilicet operanti vel consulenti non sint aperte falsae?* Affirmative; idque contingeret in casibus necessitatis, ita scilicet ut moraliter non posset aliter fieri. Scripsit Sanchez (*De decal. I.* IX *25*): « In duplici casu excusabitur sequens vel consulens opi- « nionem, quae ita parum probabilitatis habet, ut alias « amplecti non posset. Prior est quando urget maxima « periculi gravis vitandi necessitas, quod vitatur sequendo « opinionem non aperte falsam, nec omni probabilitate « destitutam (*et adducit exemplum revalidationis matri-* « *monii per renovationem consensus, non certiorata parte,* « *quia, quamvis talis certioratio probabilissime exigere-* « *tur, tamen absque maximo periculo in casu practicari* « *nequiret*). Posterior est quando casus particularis urget, « hoc est quando statim intellectum ad alterutram partem « determinari oportet, et nequit omnis diligentia moraliter « possibilis adhiberi, et adhibetur ea, quam loci et tem-

« poris opportunitas permittit; tunc enim excusatur eam « opinionem sequens. Quia eo casu, post adhibitam eam « diligentiam, ignorantia manens est involuntaria, et ideo « practice nullum est peccati (formalis) periculum ». Exemplum esset in plurimis confessariis, qui recepta olim instructione a proprio magistro (forte etiam non multae scientiae), iuxta illam in omnibus se gerunt, excepto solum casu in quo doctrinam aliquam iam certe fuisse falsam cognovissent. A fortiori exemplum habes quando poenitens ex una parte exponit casum difficilem, et ex alia responso indiget statim nec potest redire.

Equidem damnata fuit propositio, quae dicebat: » Ge- « neratim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrin- « seca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non « exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agi- « mus ». Sed haec non obstat; aliud enim est dicere quod *generatim* et quod *semper*, aliud vero quod solum in circumstantiis praedictis vel similibus, usus tenuis probabilitatis licitus sit.

520. *An confessarius* ***tenere possit*** *opinionem etiam* ***rigidam*** *(dummodo* ***probabilem)****, poenitentes iuxta illam* ***obligando*** *?*

Distinguendum est. Quando opinio benigna est probabilior vel aeque probabilis, quum poenitenti liceat illam sequi, confessarius poterit quidem consulere rigidam utpote tutiorem, sed ad illam obligare nequibit. Talis enim obligatio esset contra veritatem, atque insuper ordinarie redundaret in praeiudicium tum poenitentis ipsius tum Religionis; quandoquidem hodie rigor alienationem ab Ecclesia atque ab usu sacramentorum producere solet, et maxima adest necessitas benignitatem quantum fieri potest adhibendi.

Poterit itaque confessarius obligare poenitentem iuxta opinionem rigidam solum quando talis obligatio vere adsit, quod (iuxta supradicta) restringitur ad duos casus. Primus est si opinio benigna non sit vere et practice probabilis. Secundus est si opinio benigna sit multo minus vel tenuiter vel dubie probabilis.

Attamen posset etiam, salva veritate et si prudentia

id exigeret, occultare poenitenti opinionem benignam et sinere ut rigidam tantummodo cognoscat, ne dictamen de licito (quod per accidens praeiudicium inferret) sibi efformet.

Sed casus isti sunt explicandi.

521. *Explica quandonam opinio benigna* ***non sit vere et practice probabilis.***

Iam dixi supra quod, ad veram probabilitatem constituendam, exigitur fundamentum grave; sed hic noto speciatim, quod opinio debet esse probabilis *non solum speculative, sed etiam practice;* interdum enim a theologis dantur ut probabiles (aut etiam ut certae) quaedum doctrinae, quae practice vel non solent accidere cum circumstantiis in thesi suppositis, vel nimium periculum formalium peccatorum, aut hallucinationis, aut abusus, aut scandali etc. includunt; unde possunt quidem esse probabiles speculative, sed non practice. Exemplum habes in quibusdam opinionibus benignioribus in materia sive sigilli, sive compensationis, sive occasionis proximae, sive repressionis motuum carnalium, sive osculorum, amplexuum et tactuum inter sponsos de futuro etc.; unde S. Lig. (*Mor. syst. circa finem*) scripsit: « Ubi opiniones benignae proximius redd dant periculum peccati formalis, prout sunt nonnullae « auctorum opiniones v. g. quoad vitandas occasiones pro« ximas, tunc semper expedit, ut confessarius utatur, imo « dico quod ipse ut medicus animarum, tenetur uti opi« nionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos « in statu gratiae conducunt ». Quod tamen cum discretione intelligi debet, quatenus oportet ut confessarius obedientiam speret; si enim potius (v. g. circa visitationes adamantium) reformidare deberet quod poenitens non foret obtemperaturus, imo sacramenta esset derelicturus et sic in adhuc peiorem statum ruiturus, utique tunc opinio rigida, quamvis in se magis salutaris, de facto ruinosa esset, et proinde adhiberi non deberet, ut bene observat Frassinetti (*not. 148 ad n. 463*).

522. *Da exempla in quibus opinio benigna sit* ***multo minus, vel tenuiter, vel dubie probabilis.***

Huiusmodi opiniones, meo sensu, essent v. g. speciatim sequentes.

I. Opinio quae docet, divites non teneri facere eleemosynam pauperibus etiam in communibus et ordinariis necessitatibus.

II. Opinio quae docet, neminem teneri reparare damna propter homicidium vel incendium etc. quando error personae intervenisset, ut puta, si quis occidisset Titium dum credebat occidere Caium, vel incendisset domum Caesaris credendo illam esse Antonii.

III. Opinio quae docet, non adesse obligationem ducendi in uxorem miseram puellam sub vera (vel etiam ficta) matrimonii promissione a se defloratam.

IV. Generatim opiniones quae sunt contra instructionem S. Sedis, v. g. Catechismi romani, vel S. Poenitentiariae, vel S. Officii etc.

523. *Explica quomodo posset interdum confessarius opinionem benignam* ***occultare poenitenti, ut rigidam sequatur.***

Hoc accideret si melius esset ut poenitens opinionem benignam ignoraret, et crederet v. g. se esse peccaturum dando osculum suae desponsatae, quamvis in rigore, attentisque circumstantiis, id probabiliter liceret. Idem dic si melius esset ut poenitens quasdam opiniones ignoraret sive excusantes a restitutione, sive permittentes compensationem. In his enim et similibus casibus prudentia subinde exigere potest ut confessarius relinquat poenitentem in sua opinione rigida, vel etiam (sive interrogatas sive non) ei significet opinionem rigidam (quod utique facere posset salva veritate, si opinio illa vere adesset, quin tamen dicat illam necessario esse sequendam) simulque opinionem benignam occultet; idque propter bonum poenitentis ipsius (v. g. ne peccare incipiat, vel ex peccato levi in grave incidat, vel habituatus evadat etc.); maxime vero si bonum quoque aliorum id exigeret (v. g. ne scandalum sequatur, vel, stante opinione probabili eximente ab obligatione, opinio obligans videretur magis probabilis, aut poenitens dives, alter autem pauper foret.

Ita ego sentio. Sed non desunt theologi (et quidem magnae auctoritatis), qui supponendo quod probabilitas vere solida sit, absque ulla alia distinctione (quod tamen mihi non placet) dicunt, confessarium illâ uti posse, nedum ad deobligandam sed etiam ad obligandam. Audiantur sequentes.

Bonacina (*De Pecc. IV.* IX. *4*) scripsit : « Licitum esse sequi opi-« nionem probabilem, relicta propria probabiliori, non solum eximendo « poenitentem ab obligatione, verum etiam obligationem imponendo ».

Sanchez (*Dec. I.* IV *21*), postquam dixerit posse doctorem consultum respondere etiam iuxta opinionem quam iudicat minus probabilem, non attendendo ad propriam quam iudicat probabiliorem, subdit : « Sed hoc « limitant Vasquez et Salas, ut tunc possit vir doctus, relicta opinione « quam probabiliorem credit, iuxta probabilem consulere, quando petentem « consilium eximit a restitutionis obligatione et alia quacumque ; secus « quando ipsum ad quidpiam obligat. Nam consulens doctorem circa ali-« quam obligationem, non de aliorum sed de ipsiusmet opinione interrogat; « atque ita ficta ipsius auctoritate illum condemnat, qui agnoscens illam « non esse eius opinionem non restitueret. Verum non placet limitatio. Si « enim iuxta aliorum opinionem, quam probabilem putat, potest petentem « consilium excusare, cur non poterit condemnare?.... Adde quoque eam « vere esse suam opinionem; cui tamquam probabili assentitur. Nec obstat « fore ut alter opinionis excusantis conscius, quam doctor probabiliorem « reputat, non restitueret. Nam idem accideret si sciret doctorem repu-« tare minus probabile, tutum tamen non obligari ad restituendum. *At « nullus obligat doctorem ut hoc poenitenti declaret*.... Tandem quia saepe « prudentia petit ne explicetur opinio probabilior excusans a restitutione; « ...ne in idem peccatum incidendi ansa detur... Placet tamen quod addit « Salas, nempe si roget expresse consulens, an aliqua ratione a restitu-« tione excusari valeat, teneri consultum aut a consilio dando abstinere, « aut declarare opinionem aliorum probabilem excusantem ».

Reginaldus (*XIII 97*) scripsit : « Eum qui nixus non levibus fun-« damentis bona fide contra communem opinionem persuadet sibi aliquid « esse licitum, posse consilium petenti dare illud secundum ipsam commu-« nem opinionem, etiamsi contrariam ipse iudicet probabiliorem, et eiusdem « communis opinionis rationes apte dissolvi posse putet... Quamquam, si « consuleretur non quidem absolute de aliqua re an ea liceat, sed quid « de ea sibi videatur.... probabilius, respondere deberet id quod iudicat, « alioquin mentiretur ».

Pallavicini autem (*Il sacerd. santif. sulla pratica maniera ecc. Lett. 2ª n. 2 etc.*) scripsit : « Si petas an debeas esse probabilista, an vero pro-« babiliorista, respondeo : Sis prout malueris, dummodo in utriusque syste-« matis usu cautelas adhibeas.

Idem sentiunt Salmanticenses (*XXI.* IV. *95*).

524. *Utrum* ***unusquisque possit stare consilio sui confessarii*** *(etiam doctrinae fama non gaudentis), qui dicat aliquid esse licitum?*

In rebus ordinariis (in quibus omnes confessarii praesumi debent satis instructi) affirmative, ut plurimum; idque quamvis poenitens alium similem confessarium dissentientem invenisset (hoc enim non prioris confessarii errorem, sed opinionum diversitatem praesumere faceret). Adde quod observantia legis et via salutis nimis difficilis redderetur, si christifideles de consilio confessarii quieti esse non possent; et amplius inquirere tenerentur.

Dixi *in rebus ordinariis;* aliud enim esset si de casu extraordinario, scilicet difficili et valde momentoso, ageretur, et poenitens satis commode sacerdotem magis doctum consulere posset.

Dixi *ut plurimum;* aliud enim esset si poenitens manifeste conspiceret, confessarium errare vel de solida probabilitate eiusdem responsi non esse fidendum, eo quod sive ab alio confessario valde doctiori, sive ab aliis confessariis passim, audierit responsum illud esse falsum et sustineri non posse.

525. *An poenitens possit tuta conscientia* ***in gyrum se conferre,*** *ut aliquem iuxta suum desiderium respondentem inveniat?* Poenitens non tenetur stare statim dicto unius, sed potest alios etiam consulere. Distinguendum est tamen. Potest enim alios consulere non iam ex intentione inveniendi aliquem indoctum vel imprudentem, vel utcumque talem de quo non sit fidendum, qui sibi faveat; bene vero ex intentione sincera coniiciendi an cum fundamento sufficienti existimare possit ab obligatione se esse immunem, et sufficientem probabilitatem sibi favere. Ita Sanchez (*Dec. I.* IX *24*).

526. *Quid si christifidelis versaretur in dubio* ***et neminem consulere posset?*** Decisio pendet a dictamine quod tunc sibi efformaret. Ordinarie menti ei occurret principium quod in dubio standum est a parte tuta; sed, si ad standum a parte tuta incommodis subiici deberet, facile cogitabit quod plus vel minus vel etiam totaliter posset excusari. Dixi *plus vel minus;* aliud enim est si ex una parte incommodum sit leve vel grave vel gravissimum; et ex alia res de qua agitur sit levis vel gravis vel gravissimi momenti. Ut plurimum mentis confusio et conscientiae turbatio remanebit; ita tamen ut persona minus peccare existimet, quam si rem esse vetitam certe sciret.

527. *Utrum unusquisque possit* ***aliquando iuxta unam et aliquando iuxta aliam contrariam probabilem opinionem*** *procedere?*

Affirmative ordinarie; ex eo enim quod quis una opinione usus fuerit, altera probabilis et tuta esse non desi-

nit. Hinc filius poterit non servare testamentum *informe* patris (utpote probabiliter invalidum), simulque poterit acceptare haereditatem sibi obvenientem ex alterius testamento informi (utpote probabiliter valido).

Dixi *ordinarie;* interdum enim usus alicuius opinionis efficit, ut non amplius sit probabile quod simul opinio contraria practicari possit. Exempla. Qui accepit haereditatem ex testamento informi, nequit recusare solutionem legati quod ex testamento ipso adimpleri debeat; non scilicet dicere poterit: haereditatem accepto quia testamentum informe est probabiliter validum; simulque legata non adimpleo quia est probabiliter invalidum. Item qui materiam sui voti in aliam aequivalentem privata auctoritate mutavit, poterit quidem probabiliter primam materiam non amplius servare; sed nunquid poterit etiam materiam substitutam negligere sub praetextu quod mutatio probabiliter invalida fuit? Cf. Lehmkuhl (*I n. 115*) et D'Annibale (*I n. 242*).

528. *Utrum* ***subditus in dubio*** *de actionis liceitate,* ***mandato sui Superioris*** *stare possit?* In hoc casu subditus nedum potest, sed debet stare mandato sui Superioris; id enim ad rectam gubernationem prorsus necessarium est.

ARTICULUS II.

De modo quo solvi possunt indirecte dubia facti.

Recolendum quod casus iste contingit quando dubium de actionis liceitate provenit quia dubitetur non iam de lege sed de facto; ut puta, si quis certus quod non licet hominem occidere, sclopum explodat contra obiectum de quo dubitat an sit homo; vel si quis certus de obligatione ieiunandi post annum vigesimumprimum, ieiunare omittat dubitans utrum hunc ipsum annum expleverit: sive habeat motiva sic opinandi (quo casu dubium erit *positivum*); sive talia motiva non habeat (quo casu dubium erit *negativum*). Lugo (*De Poenit. XVI. 58-59*). Notandum tamen quod dubium hic accipitur latiori sensu, scilicet pro defectu plenae certitudinis; unde subsistere posset dubium, etsi pro alia parte probabilitas (etiam maior) subsisteret.

529. *Casus ad hanc quaestionem spectantes* ***quibusnam principiis*** *resolvuntur?* Principium supremum est standum esse parte tuta; sed exceptiones sunt multae.

Ad determinandum autem quando a parte tuta stare oporteat et quando exceptio fieri possit vel debeat, principia secundaria sunt plura. Aliqui enim casus solvi possunt ex legibus positivis; alii ex doctrina theologorum; alii ex contractu vel officio; alii ex materia poenali; alii ex incommodis; alii ex diversa rei gravitate; alii ex praesumptionibus; alii ex necessitate inquisitionum; alii ex principio possessionis; alii ex incertitudine obligationis contractae; alii denique ex probabilitate satisfactionis iam peractae. Sed haec sunt declaranda.

530. *Quomodo dubium interdum solvi potest* ***ex lege positiva?***

Hoc accidit quando lex positiva determinat utrum in dubio ad actum procedi possit, an vero a parte tuta standum sit.

Sic in dubio de mortali commisso potest quis communicare cum contritione sine confessione, dicente Trido « Qui est sibi conscius peccati mortalis « etc. ». Item in dubio de potentia matrimoniali lex concedit ut actus coniugalis per triennium attentari possit (Cf. *Theol. mor. vol. V 904*). In dubio e contra de aetate canonica, lex exigit ut ordines sacri recipi et conferri nequeant. Item dubitans de homicidio (vel abortu foetus animati effective procurato) se tamquam irregularem considerare debet. S. Lig. (*VII. 371*).

531. *Quomodo casus solvi potest* ***ex doctrina theologorum?***

Theologi innumeros huiusmodi casus ad trutinam iam revocarunt; et sic ex eorum doctrinis sive certis sive probabilibus regula tuta sumi poterit: non enim amplius de solo dubio facti sed de doctrina certa vel probabili tunc res erit.

Loquor tamen de solis casibus, in quibus theologi non de valido (v. g. an sacramentum cum tali vel tali materia administratum sit validum); sed praecise de licito (v. g. an in tali vel tali circumstantia necessitatis, liceat ministrare sacramentum cum materia dubia) locuti fuerint.

532. *Quomodo casus resolutio pendere potest* ***ex contractu?***

Interdum ex natura alicuius contractus celebrati eruitur, an plus vel minus in illius executione cavendum sit a periculo.

Sic maior securitas in custodienda re commodata exigitur; et minor sufficit si de re locata; et minor adhuc si de re in depositum gratis accepta agatur.

533. *Quomodo casus resolutio pendere potest* ***ex officio?***

Officium est quasi-contractus; et qui acceptat officium ad cavendum a periculis plus vel minus iuxta casuum diversitatem se obligat.

Hinc ***medicus***, in consideranda natura morbi atque in eligendis medicinis, maiorem securitatem habere debebit in morbis periculosis quam in levibus; quoad medicinas autem quae menti ei occurrunt, certas incertis, probabiliores minus probabilibus, et certissimas certis praeferre debet. S. Lig. (*I 44*) et Viva (*I. Innoc. XI. 4*).

Pariter *iudex* in causis gravissimis maiori securitate procedere tenebitur quam in aliis minoris momenti; atque in causis civilibus, stante dubio, ordinarie possessori vel (si de possessione non constet) meliores habenti rationes favere debebit; unde Innoc. XI damnavit prop. quae dicebat: « Probabiliter existimo, tudicem posse iudicare iuxta opinionem « etiam minus probabilem ».

Sic etiam *ministri sacramentorum* procurare debent (quantum moraliter possibile est) ut invaliditatis periculum declinent, non utendo materia dubia (extra casus necessitatis) etc.; unde damnata fuit (ad Innoc. XI) propositio, quae dicebat: « Non est illicitum in sacramentis conferendis « uti opinione probabili *de valore* sacramenti, nisi id vetet lex, conventio, « aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tan« tum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, vel « episcopalis ».

Aliud exemplum datur *in superiore*, qui etiam in dubio de delicto subditi, teneri potest ad inquisitionem et admonitionem faciendam propter periculum magni damni publici vel privati etc. Cf. S. Lig. (*II. 39*).

534. *Quomodo casus resolvi potest attenta* ***materia poenali?***

In materia poenali non currit poena nisi de delicto certe constet, iuxta aphorismum: « In dubio delicto reus « est absolvendus ».

Hinc in dubio an clericum percusseris vel an percussio fuerit graviter iniuriosa; vel an mandatum tuum influxerit; vel an sententia excommunicationis lata fuerit etc., teipsum tamquam excommunicatum habere non teneberis. (Cf. Sanchez *Dec. I.* x. *56* et S. Lig. *VII. 33. 66*).

Idem dic de irregularitate in dubio de existentia delicti illam inducentis (excepto tamen homicidio). Cf. Sanchez (*l. c. 48*) et S. Lig. (*VII n. 371*).

Idem dic de reservatione (quae poenae assimilatur); unde peccatum dubie commissum aut dubie mortale reservatum non censetur. S. Lig. (*VI. 600*)

535. *Quomodo casus resolvitur ex eo quod obligatio standi a parte tuta pariat vel non pariat* ***incommoda?***

Imprimis poni debet obligatio standi a parte tuta, si homo cum levi vel nullo incommodo ita se gerere possit,

simulque absque provocatione alicuius malae consequentiae talis obligatio apponi valeat.

Exempla. Sacerdos post consummationem dubitat ne vinum sit ineptum. Aliam hostiam et aliud vinum, vel (si absque scandalo id facere nequeat) solum aliud vinum consecrare debebit (S. Lig. *VI. 206*).

Rem mihi commodatam ad dominum suum remissurus, utique medium tutum (si facile possim) adhibere debebo: imo si medium tutissimum prorsus in promptu esset, illud praeferre deberem.

536. E contra obligatio standi a parte tuta ordinarie non aderit, si absque gravi incommodo sic fieri nequeat.

Exempla. In dubio an damnum intulerim vel iniuste intulerim, ad restitutionem (quae utique non parum incommoda esse solet), saltem pro toto, non teneor. (S. Lig. *III. 562*).

Qui dubitat de validitate matrimonii, quod bona vel etiam dubia fide contraxerit, si ope inquisitionum dubium resolvere nequeat, debitum nedum reddere sed etiam petere poterit. (S. Lig. *VI. 904-908*).

Qui de confessione facta certus est, et dubitat an cum debitis dispositionibus, ad peccatum iterum accusandum ordinarie non tenetur. (S. Lig. *VI 505*).

Mulier quae dubitat de abortu secuturo ex aliqua actione, ab illa abstinere non tenetur si ex multis aliis actionibus similibus, in complexu difficile evitabilibus, abstinere cogeretur.

Nihil dico de casibus, in quibus incommodum excusaret etsi res esset certa; tunc enim idem (imo minus) incommodum excusaret, si res sit dubia. Hinc quae famuli (ne servitium amittant aut graviora damna subeant) heris suis certe peccantibus (v. g. aperiendo ianuam concubinae) praestare possent, a fortiori, si de peccato dubii sint, praestare valebunt.

537. Sed circa incommoda notari debent sequentia.

I. Inter incommoda recenseri debent quoque incommoda spiritualia, v. g. periculum scrupulorum.

Exempla. Qui certus sit se non posse ieiunare in quadragesima, vel recitare officium, sed dubitet an in parte aliqua ieiunare vel recitare valeat, ad nihil tenetur.

Scrupulosis autem dubia plurima spernere nedum licet sed expedit. S. Lig. (*IV 150. 154*).

II. Inter incommoda recensenda sunt etiam quaelibet malae consequentiae, quae (si imponeretur obligatio standi a parte tuta) oriturae essent.

Exempla. In administratione sacramentorum (et spectatim sacramenti poenitentiae) subinde contingit quod, propter bonum subiecti, aut moralem impossibilitatem ea tutius communiter administrandi, etiam cum dubio de valore administrari possint, iuxta effatum: *sacramenta propter homines*.

Dubitans ne forte monitio potius nocitura quam profutura sit, ab illa abstinere debet.

In dubio de matrimonii iam contracti validitate (si factis quoque inquisitionibus dubium persistat) matrimonium perinde ac certe validum considerari deberet. S. Lig. *VI. 907*).

In dubio an proles sit adulteri an vero mariti, censetur esse mariti. S. Lig. *(III 657)*,

538. Dixi incommodum grave ne stetur a parte tuta excusare *ordinarie,* non vero semper; interdum enim rei gravitas exigere potest, ut etiam in dubio a parte tuta standum sit, ut statim explico.

539. *Quomodo casus resolutio ex diversa* ***rei gravitate*** *pendere potest?*

Quod casus resolutio ex hoc capite pendere possit iam est per se evidens; et profecto ex hoc capite interdum a parte tuta, imo interdum a parte tutissima, standum est; interdum vero a parte minus tuta stari poterit.

Exempla. Epistolam ad Titium mittere debeo. Interdum expeditionis medium minus tutum sufficere; et interdum tutum, atque interdum tutissimum (eo quod pro negotio gravissimo mittatur) exigi potest.

Coniuges dubitant ne opus coniugii scandalum filiis in eodem cubiculo degentibus afferre possit. Utique a periculo isto magis cavere debent si filii iam sint adolescentes, aut si hora talis sit ut maius adsit periculum ne vigilent, et adhuc magis si cum ipsis in eodem lecto decumbant.

540. Rei autem gravitas tanti momenti esse potest, ut etiam cum gravi incommodo a parte tuta standum sit.

Exemplum. Sacerdos non obstante gravi incommodo abstinere debet a probabili violatione sigilli.

541. Hinc theologi facile concedunt obligationem standi a parte tuta (frustra factis inquisitionibus) minime adesse in casibus, qui minus gravis momenti esse censentur; cuiusmodi essent sequentes.

1° In dubio an hodie sit festum et audienda sit missa de praecepto. (Ballerini *Op. theol. I.* II *n. 153*). 2° In dubio an hodie sit vigilia vel an condimentum ex adipe adhiberi possit (*l. c.*). 3° In dubio an mediam noctem coenando excesseris vel masticando aliquid deglutiveris et an proinde possis missam celebrare, vel simpliciter communicare. (Ballerini *l. c. 168*).

Dicerem tamen haec esse vera solum si incommodum aliquod abstinendo superadderetur.

E contra standi a parte tuta obligationem ponunt in rebus, ex quibus damnum tertii aut aliae valde malae consequentiae oriri possunt.

Exempla. Nequis sclopum explodere contra obiectum de quo dubitares an sit homo.

Sacerdos dubitans quod aliquid dictum fuerit a poenitente in ordinem ad confessionem, teneretur sigillo. (S. Lig. *VI 637*).

In dubio de baptismo vel ordine sacro valide administrato, sub conditione iterari debet. (S. Lig. *VI 135. 777*).

In dubio facti de existentia impedimenti dirimentis, vel in dubio de

dispensatione obtenta, matrimonium usque ad dispensationem ipsam certo obtentam (incommodo non obstante) differri debet. (S. Lig. *VI 901-902*).

Et huc spectat obligatio mutandi religionem in infideli, qui perspiciat religionem catholicam esse probabiliorem; unde damnata fuit (ab Inn. XI) propositio quae dicebat: « Ab infidelitate excusabitur infidelis « non credens ductus opinione minus probabili ».

Huc spectat etiam doctrina eorum qui docent exigi contritionem perfectam (non vero sufficere attritionem) in periculo mortis. (S. Lig. *VI 437*).

542. *Quomodo casus resolvitur* ***ex praesumptionibus?***

I. Praesumptiones consistunt in iudicio quo confidimus rem esse prout (naturâ, usu, moribus etc., inspectis quoque circumstantiis loci, temporis etc.) esse solet. Sic, v. g. praesumimus puerum post septennium usu rationis pollere; domum non carere commodis consuetis; officialem esse satis instructum in rebus officii sui; hominem fecisse quod facere promisit vel debuit; vicinos scire ea quae in vicinia publice acciderint etc.

II. Praesumptiones, contra quas nihil positivi in contrarium adsit (etsi certitudinem absolutam non constituant, et sic cuidam levi dubio negativo locum relinquant, regulam amplissimam statuunt: idque verum est sive de illiceitate sive de liceitate actionis quaestio sit.

Exemplum *de illiceitate*. Vir coivit cum foemina, sed non advertit an seminaverit, vel an intra an vero extra vas seminaverit. Praesumitur seminasse intra; et proinde sororem mulieris ita cognitae (propter praesumptum impedimentum affinitatis) ducere nequibit. (S. Lig. *VI 902*).

Exempla *de liceitate*. Vir coivit onanistice. Praesumitur nihil seminis effluxisse intra, et proinde impedimentum non subsistere.

De coniuge qui familiam suam diligebat, iam inde a multis annis nulla notitia habetur (dum prius epistolas scribebat etc.), Praesumitur mortuus; multo magis si in bello vel in locis epidemia infectis versatus fuisset, aut si navis (in qua erat) naufragium fecisset. Hinc alter coniux ad novas nuptias transire poterit.

Qui non recordatur an peccatum confessus fuerit, non tenetur illud accusare, si longum tempus iam praeterierit et diligenter confiteri solitus fuerit.

Quod tamen ex praesumptionibus ad casus resolvendos regula sumenda sit, non ita absolute intelligi potest, ut subinde exceptiones fieri non debeant; interdum enim, propter rationes praeponderantes, praesumptiones non sufficiunt sed certitudo plena exigitur.

Exempla. Matrimonium iam contractum non solvitur etsi de impedimento impotentiae praesumptio iam haberetur, nisi triennale experimen-

tum completum vel insuper inspectio corporis intercessisset. (Cf. *Theol. mor. Vol. V n. 904*).

Viro senectute confecto usus coniugii non interdicitur etsi rarissime copulam habere possit et fere semper solis tactibus rem perficiat.

543. *Quomodo casus resolvitur* ***ex necessitate inquisitionum?***

Perpendi debet 1° casus dubii gravis sive positivi sive negativi; 2° casus dubii levis positivi; 3° casus dubii levis negativi.

In casu dubii gravis sive positivi sive negativi, inquisitiones (rei gravitati proportionatae) fieri debent, atque interim (nisi aliquid in contrarium adsit) actio suspendenda est.

Exempla. Testis unicus quidem sed fide dignus dicit Titii matrimonio (iam contracto) obstare impedimentum. Tenetur Titius inquirere, atque interim a petendo debito abstinere (quia tamen in contrarium obstaret periculum iniustitiae, coniugi in bona fide existenti debitum negare non posset). S. Lig. (*VI 908*).

In viam frequentatam e tecto deiicere quis vult tegulas. Utique tenetur cavere ne aliquis tunc transeat.

In casu dubii levis positivi, ut plurimum neque suspendendi neque inquirendi obligatio adest.

Titius, v. g. a persona fide non digna audit matrimonio suo impedimentum obstare, quin ulla ratio indicetur. Utique (maxime si de matrimonio iam contracto ageretur) dictum huiusmodi prorsus negligere posset. S. Lig. (*VI 908*). Dixi *ut plurimum;* si enim de periculo damni tertii (speciatim gravis) ageretur (et maxime si aliqua inquisitio facillima esset), utique tunc inquirendi obligatio adesse posset. Mihi v. g. sclopum explodere volenti leve indicium apparet hominem occidendi periculum adesse. Nunquid sclopum explodere possem? Nequaquam.

In casu dubii levis negativi, ordinarie pariter nec suspendendi nec inquisitiones faciendi obligatio adest. Si tamen ageretur de periculo damni tertii, periculum remotissimum quidem (non vero si esset simpliciter remotum) negligi poterit.

Hinc, v. g. pecco si in viam parum frequentatam tegulam etsi unicam (consuetis signis non appositis), aut spurcitias (non observando prius an aliquis transeat) deiiciam; sed non pecco si cum curru iter faciens nocturno tempore non observem ne forte ebrius in ipsius viae medio rotarum collisioni expositus versetur; huiusmodi enim cautela practice impossibilis esset.

544. *Quomodo casus resolvitur ex principio* ***possessionis?***

Principium possessionis est quod possessor bonae fidei, superveniente dubio, ad nihil tenetur, sive dubium sit

negativum sive etiam esset positivum, dummodo inquisitiones fecerit, illisque factis dubium persistat. (S. Lig. *De consc. in fin.*). Ratio est quia bono publico non expedit ut propter solum dubium possessiones mutationibus subiici debeant. Attamen Lehmkuhl (*I 108*) dicit quod, si rationes sint multo graviores contra possidentem, probabile est rem occulte ei auferri posse.

Si autem inquisitiones neglectae fuissent, aut si possessor iam inde ab initio dubiae fidei fuisset (ut puta, si quis rem dubie furtivam emisset), tunc sententia communior dicit pro rata dubii restituendum esse.

545. *Quomodo casus resolvitur* ***in dubio an obligationem contraxeris?*** Qui dubitat, v. g. utrum ad pecuniam gratis solvendam se obligaverit, aut votum emiserit etc., ad nihil tenetur (praeter inquisitiones); durum est enim ut quis sustinere debeat onus, de quo non constat quod unquam susceptum fuerit. Item qui dubitat utrum ad talem vel talem limitem votum se extendat, tenetur solum ad minimum. (Cf. Ballerini *Op. th. II.* n *164*) et Sanchez *Dec. I.* x *36*).

546. *Quomodo casus resolvitur* ***in dubio an satisfeceris?***

I. Si dubium sit negativum (quod intelligitur si nulla probabilis coniectura suadeat te satisfecisse); tunc (iuxta omnes) adhuc satisfacere teneberis. Ratio videtur esse quia praesumitur quod satisfactio locum non habuerit.

II. Si vero dubium sit positivum, si nempe ratio probabilis suadeat te iam satisfecisse; tunc (iuxta opinionem valde probabilem, contra alios, qui dicunt, debito certo non satisfieri solutione incerta, et possessionem stare pro obligatione, atque in dubio meliorem esse conditionem possidentis) ordinarie (et saltem extra materiam iustitiae) ad nihil amplius teneberis. Ratio est quia durum et a legislatoris voluntate alienum esset obligare ut satisfaciat, illum qui probabiliter (aut probabilius) iam satisfecit; forsan enim cogeretur satisfacere bis.

Qui itaque dubitat an officium aut officii partem recitaverit, an poenitentiam sacramentalem adimpleverit, an voto satisfecerit, an peccatum accusaverit etc.; ad satisfaciendum tenebitur vel non tenebitur secundum quod negative vel positive dubitet. Cf. S. Lig. (*IV 150*), Lugo (*De Poen.*

XVI 58 60), Lehmkuhl (*I 109*), Laymann (*De consc. I 31*), Ballerini (*Op. th. II.* II *80*).

547. *Sed quid in materia iustitiae: quid scilicet si quis debitum habens probabiliter iudicet illud iam solvisse, vel de remissione creditoris probabilem coniecturam habeat?* Etiam in hoc casu variae sunt theologorum sententiae. Multi cum Lugo (*XVIII.* VII *3*) dicunt adhuc satisfaciendum esse ex toto. Alii cum Laymann (*l. c. 42*) dicunt sufficere si satisfiat pro rata. Alii cum Lessio (*Auct. verb.* Contractus *c. VIII*) dicunt ante iudicis sententiam non esse obligationem satisfaciendi; maxime si probabilius sit iam fuisse satisfactum. Hoc autem certum est si de debito gratuito agatur, qua in re ipse Lugo (*De Poen. XVI 60*) consentit. Caeterum, meo sensu, negotium adeo momentosum aliquando esse potest, ut in promissione (etiam gratuita) adimplenda, omnino a parte tuta standum sit.

548. *Quid itaque summatim de principio:* ***In dubio melior est conditio possidentis?***

Valet certe quando quis rem aliquam sive mobilem sive immobilem possidet bona fide.

Multi docent valere quoque universaliter in aliis casibus sive in materia iustitiae (scilicet quoad debita dubie soluta), sive extra materiam iustitiae; ita scilicet ut unusquisque in dubio facti (frustra peractis inquisitionibus) semper stare possit pro statu quo, nisi certe constet res esse mutatas, vel utcumque pateat quomodo factum illud (de quo dubitabatur) se habeat. Dicunt itaque: Si prius homo erat liber, non obstante dubio facti (quod, si certe subsistsret, libertatem ligaret) libertas in statu quo remanet (seu possidet libertas). E contra si prius homo erat obligatus, non obstante dubio facti (quod, si certe subsisteret obligationem destrueret), obligatio in statu quo remanet (seu possidet lex).

At vero principium istud (sic extensum) inconcussum non est, et saltem sive certe sive probabiliter multas patitur exceptiones. Nunquid enim potero in dubio aetatis canonicae ordines suscipere; in dubio impedimenti dirimentis matrimonium contrahere; in dubio damnum vel scandalum dandi ad actionem procedere etc.; nunquid (inquam)

ita me gerere potero, quia possidet libertas? Nunquid e contra, non obstante probabilitate debiti iam soluti, aut voti iam satisfacti, aut officii iam recitati, aut poenitentiae sacramentalis iam adimpletae, ad haec praestanda adhuc obligabor, quia possidet lex? Opiniones probabiles et practice tutas in contrarium adesse vidimus mox supra (*n. 541 et sqq.*).

Equidem principium istud valet in dubiis negativis, unde v. g. debeo accusare peccatum si non reminiscar quod illud accusaverim. Sed (si res bene introspiciatur) non tam principio possessionis quam principio praesumptionis, casus huiusmodi resolvuntur. Sic peccatum certe commissum debebo quidem accusare si recenter illud commiserim et de confessione facta nullam memoriam habeam (tunc enim praesumitur non confessum); non vero si a longo tempore commissum fuerit (tunc enim iam confessum praesumitur).

Sed quid si ex praesumptione nihil coniici valeat? Dari potest exemplum sequens. Titius nocte diei Iovis expergiscitur et nescit an sit adhuc dies Iovis an vero incoeptus sit dies Veneris. Theologi dicunt: Potest vesci carnibus, quia possidet libertas. Expergiscitur e contra nocte sabbati et nescit an dies dominica incoepta fuerit. Dicunt non posse vesci carnibus, quia possidet lex. Ego sane non video rationem ita gravem ut pro differentia ista concludendum sit. Fateor tamen tot numero et pondere esse auctores, qui rem ita se habere firmiter existimant, ut eorum sententiam sequi certe liceat.

549. *Ex dictis in tota hac quaestione* ***quid summatim concludendum?***

Concludendum quod in dubio facti, iuxta distinctiones sequentes, modo standum est a parte tuta: modo stari potest pro libertate; modo pro libertate stari nedum potest sed debet; modo denique partim a parte tuta, et partim a parte periculosa stari debet.

I. Standum est a parte tuta si lex positiva vel contractus vel officium vel rei gravitas id exigat.

II. Stari potest pro libertate, si lex positiva, aut materia poenalis, aut probabilis theologorum doctrina, aut

nimium incommodum, aut rei levitas, aut principium possessionis, aut incertitudo an persona se obligaverit, aut probabilitas satisfactionis iam peractae, permittant ut quis se liberum existimare possit,

III. Standum est pro libertate, si stando pro obligatione malae consequentiae praeponderantes secuturae essent, ut in casu scrupulosi.

IV. Partim a parte tuta et partim a parte periculosa standum est, si res sit divisibilis et rationes speciales hanc differentiam exigant, ut in casu coniugis, qui stante dubio de valore matrimonii debitum petere nequeat, simulque illud reddere teneatur.

CAPUT V.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

550. ***Quid est*** *scrupulus?* Inanis et irrationabilis timor aut persuasio de peccato.

551. *Quid est* ***conscientia scrupulosa?*** Est frequentia scrupuli.

552. ***Quibus signis*** *quis semetipsum aut confessarius poenitentem tamquam scrupulosum deprehendere poterit?*

Imprimis conscientia scrupulosa distinguenda est 1° a conscientia delicata, quae leves imo et levissimos defectus considerat; 2° a timore moderato et iusto (v. g. si magnus peccator post suam generalem confessionem aliquo tempore timeat modo hoc modo illud peccatum non adhuc recte accusasse), atque a dubiis rationabilibus, quae a quibuibuslibet personis timoratis et normali criterio praeditis haberi possunt; 3° ab aliquo scrupulo raro.

Verus scrupulosus deprehenditur ex sequentibus signis: 1° Si tamquam talis iudicatus fuerit a suo confessario stabili, vel a pluribus confessariis. 2° Si passim timeat de peccato, ubi alii communiter (etsi timorati) non timent; vel utcumque praeseferat abnormitates et inverisimilia, ut puta, si dicat se frequenter peccare cogitatione, dum tentatus de opere nunquam (etsi commode posset) sic pecca-

ret; aut se mortaliter peccasse passim reformidet, dum contra peccatum horrorem maximum ostendit, et dicit quod advertenter illud nunquam commissurus esset. 3° Si iam pateat illum pluribus vicibus iudicasse vel timuisse de peccato sine fundamento. 4° Si ipse mente tranquilla iudicare soleat hoc vel illud non esse peccatum, et postea mente turbata timeat esse peccatum. 5° Si ipse absque haesitatione dicturus esset aliis hoc vel illud esse licitum; et pro se timeret esse peccatum, quin differentiae rationem sibi reddere posset. 6° Si absque fundamento vel propter reflexiones stultas nimis frequenter intricatus remaneat. 7° Si passim actiones suas suspendat, nimisque frequenter ad confessarium vel consiliarios recurrat. 8° A fortiori si responsis non acquiescat, et alios aliosque consulat, et nihilominus in timoribus suis adhuc permaneat.

553. *Quaenam est principalis* ***scrupulorum distinctio?***

Scrupulus potest esse subsequens, vel antecedens seu concomitans.

Subsequens intervenit post factum, v. g. dum scrupulosus timet se pravis cogitationibus aut motibus consensisse, vel obligationibus suis non satisfecisse, v. g. peccatum non accusasse; vel contritionem non habuisse; vel poenitentiam non bene peregisse; vel officium divinum non bene recitasse, aut aliquam eiusdem partem omisisse etc.

Antecedens seu *concomitans* accidit dum scrupulosus timet de peccato in actione vel omissione praesenti, sive timeat ne res sit peccaminosa in se, sive timeat ne rem bonam vel indifferentem ex prava intentione faciat. Casum habes in iis qui semper credunt se habere obligationes, v. g. veniam petendi, correctiones faciendi, scandala reparandi, occasiones fugiendi etc., quas revera non habeant. Maxime vero casum habes in iis qui quidquid dicant, quidquid faciant, quidquid omittant, semper de peccato reformidant. Scrupulus concomitans saepe a subsequenti oritur; et casum habes in iis qui timendo ne obligationibus suis satisfecerint, credunt se iisdem adhuc satisfacere debere, unde semper in eo sunt ut officium repetant, peccata iterum iterumque accusent etc.

554. *Adsuntne* ***aliae distinctiones*** *circa scrupulosos?*

Affirmative. Aliqui enim obediunt confessario et contra scrupulos agere nituntur; alii vero sunt inobedientes et obstinati qui nunquam acquiescunt et semper more suo se gerere volunt.

Item aliqui in omnibus materiis, alii vero solum in aliqua materia scrupulosi sunt. Hi postremi autem in aliis materiis possunt 1° esse normales; 2° laborare conscientia laxa; 3° magni peccatores esse.

555. ***Scrupuli*** *frequentes* ***suntne damnosi?***

Etsi scrupuli ad conscientiae puritatem; ad cavendum a periculis peccandi; ad exercendas virtutes timoris Domini, humilitatis, dependentiae, obedientiae, maxime vero patientiae (agitur enim de quodam martyrio); ad meritum magnum acquirendum (si scrupulosus sic sine ulla consolatione in operibus bonis perseveret); ad purgatorium in hac vita sustinendum; denique ad alios scrupulosos compatiendos, deservire valeant; et sic suas utilitates (si scrupulosus sit obediens) habere possint; tamen in complexu habendi sunt ut damnosi, et satagendum ut curentur et eliminentur; ex iis enim sequentia damna derivant.

1° Scrupuli antecedentes et concomitantes in causa sunt ut scrupulosus vel passim (prout conscientia ei suggerit) ab agendo abstineat, actiones suas suspendat, haereat et tempus deperdat; vel agendo contra conscientiam, periculo formaliter peccandi se exponat. 2° Legem Domini et viam salutis onerosissimam, intricatissimam, et fastidiosissimam reddunt. 3° Desperationi et periculo deserendi vitam christianam atque vitiis habenas solvendi hominem exponunt. 4° Impediunt opera bona (quae scrupulosus vel facere non audet; vel, quia tempus terit in suis scrupulis, facere non potest). 5° Scrupuli speciali modo nocent iis qui in rebus levibus (v. g. in recitandis orationibus) iisdem laborant, atque interim in aliis rebus laxi sunt; facile enim, propter scrupulos eosdem, non iam laxae sed nimis strictae conscientiae se esse, sibi blandiuntur. 6° Si scrupulosus esset medicus, vel parochus, vel confessarius etc. scrupuli facile efficiunt ut (non sine damno aliorum)

haec officia male exerceat, vel etiam ad illa prorsus ineptus reddatur. Adde quod scrupulosi facile signis externis se ridiculos reddunt, et existimationem plus vel minus amittunt. Aliis quoque taediosi atque intolerabiles evadere solent. 7° Scrupuli facile sunt contagiosi, et maxime in confessario relate ad poenitentes. 8° Physice quoque praeiudicant; cerebrum enim et vires mentales debilitant, melancholiam producunt, ad amentiam disponunt, valetudini nocent, et vitam breviant.

556. *Quaenam sunt* ***causae scrupulorum?***

Possunt esse 1° Quidam defectus naturales, scilicet temperamentum formidolosum, umbratile, apprehensivum et melancholicum; iudicii imbecillitas vel nimia subtilitas, sophysticando, nimis perscrutando etc.; phantasia quae valde et facile excitetur, unde quae parva sunt magna apparent etc. 2° Quidam morbi, qui debilitatem vel perturbationes cerebralem inducunt. 3° Quaedam causae externae, v. g. confessarius scrupulosus, conversatio cum scrupulosis, lectio librorum rigidiorum. 4° Quidam errores, v. g. credendo quod tentationes etiam sine consensu (et sic sensum cum consensu confundendo) sint peccata. 5° Quidam timores excessivi fortuito excitati, v. g. occasione concionis, missionis etc.

557. *An nedum consilium sed* ***vera adsit obligatio*** *procurandi ut scrupuli a propria conscientia avertantur?*

Affirmative; et quidem haec obligatio posset esse gravis. Ut tamen incuria esset graviter peccaminosa, oporteret ut scrupuli graviter nocerent, simulque possibile satisque facile esset illos eliminare, et materia gravis (non vero si aliquoties dumtaxat scrupuli foverentur) subsisteret; unde practice de peccato mortali (maxime vero de opportunitate scrupulosum sic terrefaciendi) difficile constabit.

558. *Scrupulus potestne* ***revera esse causa peccati formalis?***

Videndum imprimis an scrupulus sit antecedens et concomitans, an vero sit mere subsequens.

Scrupulus *antecedens et concomitans* utique potest esse causa peccati formalis; et talis erit si pro iudicio vel

dubio attendibili accipiatur, ita scilicet ut scrupulosus credat se male facere, si cum illo ad actum procedat. E contra non erit causa peccati si scrupulum pro scrupulo, nempe pro inani suae mentis fallacis apprehensione, habeat; idque a fortiori si ad illum contemnendum se teneri iudicet.

Scrupulus autem *subsequens* molestus quidem, sed (quatenus sit mere talis et sic ad actionem iam praeteritam tantummodo referatur) causa peccati esse non poterit.

559. *Quaenam sunt scrupulorum* ***remedia?*** Theologi et Ascetici multa indicant remedia sive generalia sive particularia.

560. *Quaenam sunt* ***remedia generalia?*** Praecipua sunt quatuor.

Primum est ut scrupulosus *menti suae non credat*, illamque tamquam fallacem (ad instar equi umbrosi vel oculorum icterici cui omnia flava apparent) et nullatenus attendibilem habeat (intellige illis in materiis in quibus scrupulos habere solet); illius enim iudicii abnormitas, phantasia et cavillationes efficiunt, ut res ei appareant aliter ac revera sunt. Hoc tamen restringitur ad casus, in quibus dubitat; quando enim primo intuitu certus est aliquid esse peccatum, vel rem examinandi (prouti speciatim in habentibus officia valde momentosa contingere posset) obligationem habere; utique tunc menti suae credere debebit, et sic ad abstinendum vel ad inquirendum tenebitur. Si enim menti suae nunquam credere posset aut deberet, tunc vel oporteret ut quovis momento confessarium consuleret (quod est impossibile), vel ad quaslibet inordinationes libere procedere posset (quod est absurdum). Regula itaque non credendi menti propriae restringi debet ad dubia (ut dixi); quibus tamen addenda sunt etiam iudicia quae non primo intuitu, sed mente turbata, efformata fuerint, aut quae consilio confessarii sperni debeant.

561. Secundum remedium est ut *confessario suo credat*, eique praecipienti ut scrupulos spernat perfectam obedientiam praestet. In hunc finem sibi persuadeat quod scrupuli sunt valde damnosi et quod seclusa obedientia a morbo isto nunquam sanabitur. Equidem ipse vellet esse tutus; sed nunquid erit tutus si scrupulis suis obsecundet

et in statu adeo periculoso obstinate permanere velit? Erit profecto quasi coecus currens ad praecipitium, vel quasi navis in mari procelloso, quae sine rectore se coniiciat in syrtes. Obediendo autem confessario suo, iam tutissimus erit; quamvis enim in aliquo particulari errare possit confessarius praecipiendo, nunquam errabit poenitens obediendo, qui semper plene securus erit, dicente Domino « vir obediens loquetur victorias ». In hunc finem etiam Deo se toto ex corde commendet, dicendo cum coeco evangelii: « Domine, ut videam », vel cum discipulis in mari periclitantibus: « Domine, salva nos, perimus ».

562. Tertium remedium est ut *scrupulis suis nullum fomentum praebeat, sed potius illis semper adversetur.* Hoc autem sequenti modo declaratur.

I. Ad obsecundandum timoribus suis nihil faciat, nisi primo intuitu certum et manifestum peccatum videat; neque suspendat neque inquirat, nisi pariter primo intuitu certe cognoscat esse suspendendum et inquirendum. Hinc, v. g. iuxta monitum confessarii, horas canonicas, poenitentiam sacramentalem, voti satisfactionem etc. nequidem ex parte repetat; res bonas vel indifferentes, quas mala intentione facere pertimescit, audacter faciat; peccata dubie commissa aut dubie confessa non confiteatur; propter peccata dubia communionem vel missae celebrationem non omittat etc. Neque dicat: dubio meo hac vice tantum obsequar, et postea quietus ero. Neque demum ab hac regula deflectat, quia aliqua vice, spernendo dubium, se male egisse deprehenderit; expedit enim ut potius aliqua mala materialia accidant, quam quod scrupuli perpetuo foveantur.

II. De scrupulis suis nec loquatur, nec cogitet; sunt enim quasi pix quae eo magis adhaeret quo magis tangitur, vel quasi scabies aut morbus oculorum, quibus confricatio (etsi placeat) efficit ut tormentum crescat. Ne ex fine quidem perpendendi et examinandi an peccatum commiserit vel consensum praebuerit, et ne ex intentione quidem sibi persuadendi quod de scrupulo spernendo agitur, scrupulosus de scrupulis suis cogitet.

III. Scrupulis insurgentibus, distractiones quaerat,

Scribit Ballerini (*Op. th. II.* iv. *200*): « Suadeatur, ut « tunc numeret vel dies mensis vel litteras alphabeti (*vel « digitos manuum*), aut quot vitris constet fenestra aut « pavimentum lateribus ».

IV. Semel in hebdomada (non vero saepius) ad confessionem accedat; nec modo hunc modo illum consulat, bene vero confessarium suum stabilem habeat, illumque non mutet. Timores autem stultissimos ne se bene expresserit, ne confessarius bene intellexerit etc. a se prompte abiiciat. Confessiones generales non faciat; vix unquam enim confessio generalis ei expedire potest.

V. In materiis suorum scrupulorum examen conscientiae (etsi forte a regulis suae religionis exigeretur) non instituat.

VI. Otium declinet, occupationes habeat, et recreationes laetas, aut saltem distractivas, sibi procuret. Solitudinem autem et conversationem cum scrupulosis (maxime vero confessarium scrupulosum vel rigidaram opinionum sectatorem), lectiones et meditationes de rebus terrificis (v. g. de morte, de inferno, de iudicio divino, de aeternitate, de exiguo numero electorum, de viae salutis et portae coelestis arctitudine etc.) prorsus evitet. Missiones quoque et quaedam conciones ei nocere possunt. De Paradiso potius, de spe christiana, de infinita Dei bonitate et misericordia, nec non de fiducia maxima reponenda in Deo patre nostro, et in Beatissima Virgine matre nostra, saepe saepius recogitet, actusque spei atque amoris toto ex corde eliciat.

563. *Quid* ***de regulis*** *quoad scrupulos* ***a confessario tenendis?***

I. Caveat imprimis confessarius *ne tamquam scrupulosos habeat et regulis scrupulosorum dirigat eos qui tales nullatenus sunt.* Error contingere potest praecipue in duobus casibus.

Primus casus est quoad illos qui laudabiliter timendo, (quamvis non existiment se ad id teneri) a periculis quoque non gravibus cavent, mortificationem profitentur, et nedum peccata venialia sed imperfectiones etiam levissimas sedulo evitare satagunt. Quid itaque si confessarius diceret: Eia

age, hi sunt scrupuli, naenia ista audire nolo, non oportet ut adeo rigide vivas? Nonne tunc bonum magnum destrueret, dicente S. Gregorio: « Bonarum mentium est etiam « ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est »?

Secundus casus est quoad personas quae operibus piis incumbunt, ecclesiam et sacramenta valde frequentant, magnum aeternae damnationis timorem ostendunt; et nihilominus de motibus carnalibus voluntariis pravisque cogitationibus se accusant. Utique de veris peccatis mortalibus (etiam in personis huiusmodi) agi posset; et si confessarius eas ut scrupulosas haberet, et proinde non ut poenitens se emendet, bene vero, ut pro nihilo habeat res istas, sollicitus esset, nonne in causa foret ut passiones sic satisfactae semper maiorem vim acquirant, habitus efformetur, et cum maximo periculo damnationis aeternae misera anima in extremam ruinam coniiciatur? Etiam quoad magnos peccatores, qui ad poenitentiam reducti suam confessionem generalem peregerunt, non praepropere iudicet confessarius illos esse scrupulosos, eo quod iterum atque iterum cum novis peccatis accusandis redeant et veniae non adhuc obtentae formidinem aliquibus mensibus ostendant. Solum quando eos iam dicta repetere vel anxietatem excessivam ostendere animadvertat, tamquam hac in parte scrupulosos existimare incipiat.

II. Rarus erit casus, in quo quis sit scupulosus in omnibus; et proinde confessarius ut plurimum secernere debebit scrupulos a veris culpis, quae (ut supra innui) interdum leves et interdum etiam graves vel gravissimae esse possunt.

III. Confessarius a scrupuloso exigat 1° Sinceritatem; eum monendo ne advertenter res exaggeret, aut dubia tamquam certa exponat. 2° Fiduciam; et dicat quod si fiduciam in se non habeat, ad alium (de quo confidat) se conferat. 3° Obedientiam; ita tamen ut obedientia praestanda sit ex consilio, non vero ex rigoroso praecepto; secus enim poenitens alium scrupulorum fontem inveniet. Iubeat autem ut contra scrupulos agat, dubia non accuset et peccata vitae praeteritae non confiteatur nisi certus sit, imo et iurare possit rem esse illicitam, vel se peccata commisisse neque de illis confessum fuisse. In sequentibus confessioni-

bus (sive de praesentibus sive de praeteritis peccatis se accuset) confessarius persistat in inquirendo an certus sit, an iurare possit etc.? Notat Gury (*Cas. cons. I. 49*), quod interdum phantasia huiusmodi poenitentium eo usque procedit ut dicere incipiant sibi videri quod etiam iurare possint; sed (si de scrupulis manifestis agatur) confessarius id non credat, et, mutata praxi, dicat absolute ut res illas spernant.

IV. Distinguat inter scrupulosos qui plus vel minus obedire incipiunt, et alios pervicaces.

Erga obedientes sit mitis, nec afflictionem afflictis addat, neque dicat eorum morbum spiritualem iam non admittere remedium. Ad hanc crucem patienter ferendam eos adhortetur, paradisum eis repromittat, et de fine quoque huiusmodi tribulationis cum morte valde tranquilla (prout reapse accidere solet) spem eis det.

Erga pervicaces e contra aliquantulum severe et minaciter procedere poterit. Quoad illos rigidissime procedendum esse docebat S. Lig. (*Prax. n. 97*) inquiens: « Curet in hoc confessarius ut poenitens exacte obediat, « et si non obedit eum increpet, privet communione et « rigorose coerceat.... Circa obedientiam magnus rigor est « adhibendus etc. ». At vero (et maxime si agatur de monialibus) haec regula cum mica salis est adhibenda, ne scilicet (adeo severe agendo) mala maiora (v. g. insania aut desperatio) magis magisque timenda sint; interdum enim ex indole naturali, aut morbo, aut habitu inveterato scrupuli nullum remedium iam amplius admittunt, et patientia est adhibenda, ut scite advertunt Gousset (*II 609*), Gury (*l. c.*) aliique. Aliud est itaque quod remedia sint tentanda, et aliud quod in iisdem semper et rigorose applicandis perseverandum sit.

V. Confessarius totus in eo sit ut scrupulosus credat se esse talem (ut mox supra dicebam). In hunc finem de sua sententia magnam securitatem, nullamque timoris umbram ostendat. Hinc, dum poenitens (de rebus in quibus est scrupulosus) aliquid interrogat vel accusat, prompte respondeat, nullamque haesitationem ostendat, et ordinarie nihil inquirat. Interdum irrideat; et, si poenitens de illa

materia ulterius loqui vellet, sermonem interrumpat et dicat se nihil audire velle. Si confessio de solis scrupulis fuerit, tunc modo dicat non adesse materiam absolutionis, et poenitentem cum sola benedictione ad communionem mittat; modo dicat quod, si vult obsolutionem, peccata vitae praeteritae in genere accuset.

VI. Animi agitationibus novisque timoribus nullam occasionem praebeat. Hinc in rebus scrupulosis distinctiones non faciat, dictorum suorum rationes non reddat, et sermonem non protrahat; secus enim phantasia iterum accenderetur et sic scrupuli magis magisque augerentur.

VII. Causam vel causas scrupulorum agnoscere atque destruere vel imminuere procuret. Saepe agitur de morbo physico (ut supra notavi) unde pharmaca systema nervosum corroborantia iuvare possunt. Iuvat autem semper, ut confessarius poenitentem distrahat. Hinc sermonem ad alia divertat, et curet ut etiam domi ope distractionum scrupuli imminuantur.

564. *Quid de* ***remediis et regulis specialibus?***

I. Quoad illos qui timent se consensisse turpibus cogitationibus, motibus carnalibus, iudiciis temerariis, invidiae, desiderio vindictae, blasphemiis mentalibus, cogitationibus contra fidem etc.; reminiscatur confessarius 1° quod, si rudes in genere, speciatim scrupulosi (ut supra innuebam) sensum cum consensu et phantasiam cum voluntate confundere solent; 2° quod phantasia et motus carnales non ita subiiciuntur voluntati, ut ab illa totaliter refraenari possint; 3° quod (ut notavit Frassinetti *Diss. II n. 4*) non est praesumendum peccare cogitatione illum, qui opere non peccat, etsi opere quoque peccare tentaretur et tentationi commode cedere posset; 4° quod, sicut in personis timoratis habitualiter a peccato abhorrentibus et in proposito illud non committendi firmissimis, in dubio non praesumitur consensus; ita multo minus in scrupulosis praesumi poterit. Hinc de scrupuloso huiusmodi scripsit S. Lig. (*Prax. n. 96*): « Confessarius sit liber et intre-
« pidus in parvipendendo eum, et in asserendo poenitenti,
« has cogitationes esse sibi poenas, non autem consensus
« nec peccata.... Cum persona est timoratae conscientiae,

« si non est plus quam certa de peccato mortali, debet « iudicare illud non admisisse ; si quidem tantum mon- « strum possibile non est in animum aditum habere, qui « ab illo horret, quin patenter illud videat ».

II. Quoad illos qui facile reformidant adesse obligationes et peccata ubi non adsunt, et sic fere semper haesitant, inquirunt etc., bona regula est ut quidquid a personis bonae conscientiae fit, vel de quo libere faciendo consilium daturi essent aliis, ipsi quoque libere faciant.

III. Sunt qui de mala intentione semper timent. Vestes induunt, et en intentio provocandi in aliis turpia desideria erga se. Foris prodeunt, aut domum alicuius ingrediuntur, et en intentio malitiose placendi, videndi etc. Manducant, bibunt, iocantur etc., et en intentio mere delectationem sensualem capiendi. Ad Ecclesiam se conferunt vel ad sacram mensam accedunt, et en intentio vanae gloriae vel etiam sacerdotibus placendi aut malitiose eos conspiciendi. Confessionem faciunt et en intentio commorandi cum confessario vel etiam turpes delectationes provocandi. Sacras imagines (v. g. Crucifixi, Beatae Virginis etc.) aspiciunt, et en intentio illo aspectu libidini satisfaciendi etc. Scrupulosis huiusce generis iniungendum erit ut, bona intentione identidem efformata, intentiones pravas pro vana phantasia habeant, utque ad actiones bonas vel indifferentes audacter procedant. Scribit Lehmkuhl (*I 54 5*): « Si, aspiciendo res plane innoxias, imaginationes et mo- « tus patitur, audacter aspiciat; res quidem vel imagines « (e. g. sacras) etiam fixis oculis, homines modeste et « transeunter, atque motus imaginationesve contemnat ». Notentur verba *modeste et transeunter*; cavendum enim est ne scrupulosus, qui libidini quoque subiiciatur, ad nimiam libertatem procedat et sic in excessum contrarium se coniiciat. Neque silentio praetereundum est quod, si scrupuli et tentationes confessarium ipsum respicerent, tunc expediret ut ille poenitentem id significantem pro consilio remitteret ad alium sacerdotem prudentem (si adsit); qui tamen non facile boni confessarii mutationem suadere deberet; cum novo enim confessario ut plurimum idem accideret.

IV. Si scrupulus sit circa praeteritas confessiones, nempe quod in illis non satis explicaverint omnia peccata, aut circumstantias, aut numerum, vel quod defecerint in dolore, confessarius, cum adverterit poenitentem fecisse confessionem generalem, aut per aliquod notabile tempus pluries repetiisse res anteactas: huic imponere debet ne illas amplius deliberate recogitet, et ne verbum faciat de culpis vitae praeteritae nisi iurare possit etc.; qua de re S. Lig. (*Prax. n. 97*), dixit: « Scrupulosos, etiam si ex « inadvertentia omisissent aliquod grave peccatum, non « teneri (saltem cum de hoc non sint certi) cum tanto « incommodo et periculo ad servandam confessionis integri- « tatem, a qua minus quidem incommodum quam hoc excu- « sare valet ». Tandem recogitatio de peccatis vitae praeteritae permitti quidem poterit huiusmodi scrupulosis, sed solum in genere et cum confidentia in Divina Misericordia.

V. Quoad poenitentem scrupulosum in recitatione divini officii, praeter supra dicta de nihil repetendo, confessarius notet etiam quod, si valde anxietur et nimium tempus insumat, potest ei determinare tempus (v. g. horam unam cum quadrante), quod cum expleverit, si quid nondum absolverit, id omittat. (Lehmkuhl *I 64. 7*). Si autem ad tollendas graves anxietates hoc non sufficeret, tunc adhibenda esset doctrina S. Lig. (*IV 177 in fin.*) dicentis: « Si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando « etiam ei interdici recitatio officii, donec videatur posse « recitare sine tanto incommodo, cum magnum incommo- « dum excuset per se a praeceptis ». Practice autem bene erit curare ut ab Episcopo et Praelato suo dispensationem obtineat.

VI. Si poenitens timeat se peccare eo quod, recogitando de possibilibus vel etiam impossibilibus circumstantiis, non habiturus sit animum abstinendi tunc a peccato (ut puta, si recogitaret de martyriis crudelissimis et de ipsis poenis aeternis sustinendis potius quam committere peccatum), confessarius praecipiat ut tentationem a se avertat reflectendo satis esse ut sit dispositus facere divinam voluntatem, et intra se dicat: « Nunc nolo Deum offen- « dere; si casus acciderit, aderit mihi gratia divina, ut

« faciam eius voluntatem ». Voluntas autem Dei nunquam esse poterit ut quis in bivio versetur aut peccaudi aut damnationem aeternam subeundi.

CAPUT VI.

DE CONSCIENTIA LAXA.

565. ***Quid est*** *conscientia laxa?* Est illa qua quis habitualiter iusto plus in favorem libertatis iudicium inflectit; sive quatenus ad malitiam quarumdam actionum iam amplius nullo modo reflectere soleat (v. g. mentiendo, murmurando, blasphemando, sine devotione orando etc. absque remorsu ullo); sive quatenus, insurgente remorsu, ex inanibus (et quidem cupiditati faventibus) rationibus, sibi blandiri soleat esse licitum quod illicitum est, aut esse veniale quod mortale est. Hinc est laxus qui pro nihilo habet illa quae alii communiter putant esse peccata; aut non credit concionatoribus et confessariis, quorum reprehensiones pro immodicis exaggerationibus habet; aut in rebus etiam gravioribus proprio iudicio temere procedit, nemine consulto; aut, quin ullatenus peccare existimet, muneribus proprii status non satisfacit; confessioni debitum examen non praemittit; quando aliquid facere vult, ne detegat illud esse illicitum et ne remorsum crescat, ab inquirendo abhorret et praecipitanter ad actionem procedit etc.

566. *Conscientia laxa* ***quotuplex*** *esse potest?* 1° Antecedens seu concomitans. 2° Consequens. Prima contingit quando quis, tempore ipso quo agit, immerito vel dubium nullum habet, vel illud spernit. Secunda contingit quando quis, postquam formaliter peccaverit, se non peccasse aut levius peccasse immerito sibi blanditur.

567. *Conscientia laxa estne damnosa et* ***deponenda?*** *Peccatne formaliter qui illâ laborat?*

Ad I.^{m} Affirmative. Si enim sit antecedens, laxus periculo passim offendendi legem se exponit sine causa; si vero sit consequens, deficiendi contra integritatem confessionis, veniam non obtinendi, et damnationem incurrendi, periculum subit.

Ad II.m Affirmative, si laxus ex una parte advertat se illâ laborare, atque (ne sit reus in causa et praedictis periculis se exponat) debere se corrigere atque cum conscientiâ timoratâ procedere; et ex alia parte de se emendando cauteque procedendo non curet. (Dictam autem advertentiam laxus generatim, saltem in confuso et saltem identidem habebit). Si vero laxus de sua emendatione seriam sollicitudinem haberet; tunc non amplius reus in causa esset; unde, si forte consueta consuetudine praereptus aliquid mali inadvertenter vel non satis advertenter committeret, aliis bonae conscientiae materialiter aut sine plena advertentiâ errantibus aequiparari deberet.

568. *Explica enucleatius* ***quomodo*** *qui advertit conscientiam laxam habere* ***se gerere debeat?*** Praemittendum quod, dum habens conscientiam normalem ubi timendum est timet, et nec plus nec minus iusto timet; laxus e contra ubi timendum esset non timet, vel longe minus iusto timet. Hinc, sicut scrupulosus, ut aliquid tamquam illicitum habeat, debet esse certus de inhonestate actionis; ita laxus ut aliquid tamquam licitum habeat, de actionis honestate certus esse debet. In dubio itaque (etiam levi) vel inquirere vel a parte tuta stare tenetur. Imo si animadvertat quod etiam quin ullum dubium aut remorsum experiatur, male se gerere solet, specialem curam adhibere tenetur ne in posterum id accidat. Haec valent quoad conscientiam antecedentem.

Circa conscientiam consequentem autem, quando laxus de peccato commisso vel de consensu praestito dubitat, se peccasse vel consensisse praesumere debet.

569. *Quaenam sunt conscientiae laxae* ***remedia?*** 1° Timor Dei et studium legem divinam accurate servandi (in quem finem deservient meditationes, auditio concionum, lectiones spirituales etc.). 2° Agere iuxta eos qui timoratam conscientiam habent. 3° Assiduum conscientiae examen. 4° Frequentia confessionis apud confessarium vero zelo praeditum.

TRACTATUS IV.

De peccatis

Agendum est 1° de natura peccati; 2° de distinctione specifica et numerica peccatorum; 3° de peccato mortali et veniali; 4° de peccatis internis.

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI.

570. ***Quid est*** *peccatum?* Vulgari et obvio sensu definiri potest cum D. Th. (*1. 2 LXXI.* VI): « Actus humanus malus », quo scilicet homo voluntarie legem transgreditur. Hoc sensu dicitur etiam *peccatum formale.*

571. *Peccatum formale* ***distinguiturne*** 1° *a culpa;* 2° *a defectu*; 3° *a malo;* 4° *a peccato in genere?*

Peccatum *formale* confunditur cum culpa; sed a defectu, a malo, et a peccato in genere, tamquam species a genere distinguitur. Breviter id explico.

Defectus est carentia rei debitae, et (latu sensu) etiam indebitae. *Debitae;* et sic est defectus si homo careat oculo. *Indebitae;* et sic aliquo modo est defectus quod homines careant alis.

Malum est species defectus, et restringitur ad defectum rei debitae; dum scilicet aliquid (quod adesse deberet) sive rei alicui, sive operationi alicui deest. *Rei alicui;* et sic malum est si tibia sit clauda. *Operationi alicui;* et sic malum est si quis eundo claudicet.

Peccatum in genere est species mali, et restringitur ad malum operationis, quae potest esse naturae, artis et moris. Hinc *peccatum naturae* est, v. g. si natura monstrum generet; *peccatum artis* est, si, v. g. pictor male pingat; *peccatum moris* (quod vulgariter culpa aut peccatum formale appellatur) est si homo voluntarie legem aliquam transgrediatur. Sic autem patet quod peccatum formale confunditur cum culpa, et est species peccati, species mali, et species defectus.

572. *Quid itaque de* ***peccato materiali?*** Hoc committitur ab homine male operante *involuntarie*; unde ad peccatum naturae pertinet.

573. *Quaenam sunt* ***conditiones requisitae*** *ut peccatum formale constituatur?*

Quum peccatum debeat esse actus humanus malus, et quum actus humanus debeat esse voluntarius; ideo ad illud constituendum exigitur 1° cognitio ex parte intellectus; 2° libera electio seu liber consensus ex parte voluntatis.

De conditionibus istis iam egi in tractatu *de actibus humanis*, ubi vidimus 1° Quomodo voluntarium possit esse etiam in causa (*n. 355*). 2° Quomodo ignorantia invincibilis sive iuris sive facti (quae ne in causa quidem imputari possit) tollat voluntarium et proinde efficiat ut peccatum formale adesse nequeat (*n. 391*). 3° Quomodo et sub quibus conditionibus vis tollat voluntarium et excuset a culpa (*n. 447-451*). 4° Quomodo concupiscentia, habitus et metus ordinarie voluntarium non tollant, sed illud imminuere et subinde etiam tollere possint (*n. 406 et seqq. 413 et seqq. 439 et seqq.*).

574. *An ad peccatum constituendum sufficiat quod homo cognoscat id quod agit, an vero exigatur etiam ut actus malitiam cognoscat? Quid si malitiam solum in parte cognosceret? Et quid si malitia apprehenderetur quidem sed obiective revera non adesset?* Exigitur cognitio malitiae. Si malitia solum in parte recognoscitur, solum in parte reatus contrahitur. Sufficit si malitia apprehendatur, quamvis revera non adesset. Haec constant ex dictis circa conscientiam erroneam (*n. 493 et sqq.*).

575. *An peccatum in solo actu interno (seu in sola malitia voluntatis); an vero insuper* ***in actu externo,*** *vel in omissione externa, vel etiam* ***in effectu secuto*** *resideat?*

Hoc in puncto non levis confusio apud auctores reperitur. Vide Lugo (*De Poenit. XVI.* IX), Ballerini (*op. th. Tr. IV n. 64-50*, et S. Lig. *V 10*). Ego sic dicerem.

Peccatum certe residet in malitia voluntatis. Quamvis autem actus externus sit quid materiale, tamen in illo quoque residet peccatum; quatenus ex actu interno et externo quid unum efformatur, cui quoque peccati nomen datur. Hinc peccatum non iam actus voluntatis malus, sed *actus humanus malus* vel etiam *dictum vel factum vel concupitum contra legem* definitur. Hinc etiam inter peccata interna et peccata externa, atque inter peccata cogitationis, verbi et operis distinctiones fiunt.

Peccatum residet etiam in omissione externa; unde non solum in voluntate, v. g. non audiendi Missam die festo, sed etiam in omissione reali Missae ipsius peccatum intervenit.

Denique peccatum aliquando residere potest etiam in effectu secuto, quatenus, v. g. peccatum homicidii non in solo vulnere lethali, sed in morte reapse secuta; et abortus non in sola eiusdem procuratione, sed in illo reapse secuto, residere dicimus.

Quod tamen peccatum in actu externo, in omissione externa, et in effectu secuto resideat vel residere possit, hoc ad solam denominationem spectat; imo saepe effectui secuto, et subinde etiam omissionibus externis, nomen peccati non damus. Sic quoad effectum secutum dicimus quidem peccare patrem dum prolis educationem negligit, non vero quando peccata filiorum sequuntur. Et, quoad omissiones peccaret quidem sacerdos qui initio navigationis breviarium in mare proiiceret, non vero quando postea durante navigatione ipsa officium non recitat.

Hae autem advertentiae deserviunt praecipue ut dignoscatur an actus externus, omissio externa et effectus secutus sub confessionis obligatione cadant; quum enim ex Christi Domini praecepto accusari debeant peccata, ea omnia et ea sola, quae communi denominatione peccata dicuntur, accusanda erunt. Ut tamen confessionis obligatio adsit, oportet ut reatus antea accusatus non fuerit; unde qui vulnus lethale inflixit, si antequam mors sequeretur illud accusasset, morte subsecuta, obligationem non haberet iterum accedendi ad confessionem ut se homicidium commisisse declararet, prout declarare debuisset si, dum primitus ad confessionem accessit, mors iam secuta fuisset.

576. *Ad peccatum formale constituendum sufficitne ut quis habitualiter cognoscat rem esse malam,* ***an vero exigitur ut dum agit se male agere advertat actualiter?***

Exigitur advertentia actualis.

Hinc non sufficit scire mendacium esse peccatum, sed hoc debet adverti dum mendacium profertur. Id tamen sequenti modo intelligendum est.

Si reatus sit in causa, sufficit ut habeatur advertentia dum causa ipsa ponitur; v. g. dum ponitur causa pollutionis naturalis legendo turpia etc.; unde sufficit etiam advertentia ad futuram inadvertentiam seu inconsiderationem, a qua non caveatur dum cavendum esset; ut puta, dum quis advertit se non habere scientiam sufficientem pro officio suo, vel solitum esse oblivisci etc.

In peccato omissionis, sufficit ut cum advertentia malitiae quis consentiat in omissionem utcumque futuram; ut puta, si sacerdos prope mediam noctem se conferat ad dormiendum advertendo se sic partem officii esse omissurum.

In peccato commissionis, si reatus non fuerit in causa, advertentia exigitur dum ponitur actio, ita tamen ut sufficiat voluntarium *virtuale*, ut scilicet adfuerit advertentia ad malitiam in principio actionis ipsius, v. g. dum sacerdos in peccato mortali sumit apparatus ad missam celebrandam.

Aliqui confusionem ingerunt dicendo sufficere advertentiam *interpretativam*. Sed S. Lig. (*V 4*) scripsit: « Opinio eorum, si forte adsunt, qui « dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores, quos « committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia nec « directa nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso; sed tan« tum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod « ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam adver« tere; haec opinio nullo modo sustineri potest ». Vide Ballerini (*Op. th. IV.* I *n. 17 et seqq.*).

577. *An sufficiat cognoscere et advertere* ***rem esse malam;*** *an vero oporteat etiam advertere rem esse a Deo prohibitam?* Sufficit advertere rem esse malam; secus enim innumera peccata excusaremus. De re ista egi in tract. *Da recidivis* (*n. 196*). Vide Ballerini (*Op. th. l. c. n. 41 et seqq.*). Lehmkuhl (*I 222*) et S. Lig. (*V.* II).

578. *Loquendo nunc de consensu ex parte voluntatis, quaeritur an, postquam homo adverterit rem esse malam,* ***possit remanere anceps an consentiat necne?*** Negative; et non solum peccat qui ita haesitet ex mero motivo humano (v. g. haesitando passioni suae obsecundare timore infamiae, carceris, iacturae sanitatis etc.), sed etiam (nisi ex conscientia erronea excusetur) peccat qui timore ipso Deum offendendi vel damnationem incurrendi concuteretur, et nihilominus positive haesitaret. Utique qui haesitat minus peccat quam qui iam est determinatus; sed in statu quoque haesitationis malum reperitur, in eoque (post advertentiam) persistere non licet. Ratio est quia 1° talis haesitatio est iniuriosa Deo, quasi dubium foret an Dei lex turpibus desideriis praeferri debeat; 2° dilatio determinationis in favorem virtutis et cogitatio difficultatum periculum decise consentiendi inducunt; 3° sicut peccat dubitans et haesitans circa Fidem, in qua unusquisque debet esse firmissimus; ita peccat qui dubitat et haesitat circa legis observantiam, de qua propositum non iam vacillans, sed firmissimum semper habere debemus. Ita Sanchez (*Dec. I.* 1 *16*), qui dicit huiusmodi haesitationem in re gravi esse lethalem.

579. *Peccatne qui, insurgente passione inordinata, non iam haesitet an consentire debeat; sed solum* ***circa passionem ipsam indifferens remaneat,*** *et contra illam nihil faciat?*

Peccat; et rationes sunt sequentes: 1° quia secus ordinarie adesset periculum consentiendi, unde voluntas quasi contra aggressionem se defendere debet ne succumbat; 2° quamvis forte illa vice periculum non adesset, tamen oportet, ut consuetudo habeatur contra passiones exortas statim aliquid faciendi; secus enim passiones nunquam refraenatae vim acquirerent, et sic periculum quod hodie non adesset in posterum suboriturum foret; 3° quia personae timoratae conscientiae non solum si passionum motus sint vehementes, sed etiam si sint leves (v. g. alicuius impatientiae), actus contrarios (scilicet alicuius repressionis) elicere solent; 4° quia, si passio esset vehemens et valde halliciens (prout speciatim in libidine contingere

solet), qui non resisteret, dum commode resistere posset, iam consentire praesumendus esset.

Difficultas est in determinando gradu resistentiae et gradu culpae, si resistentia debita non apponatur.

Quoad gradum resistentiae, praeterquam quod oportet semper cavere a consensu atque a praebendo fomento (v. g. turpibus cogitationibus, indecenti corporis situ etc.); abominatio aut saltem passionis exortae displicentia (quae, sin minus passionem ipsam cohibeat, saltem voluntatem minori periculo expositam relinquat) ut plurimum necessaria est; et hac in re apud theologos nulla dissensio adest; ut bene probat Ballerini (*Op. theol. IV.* 1 *n. 202 et seqq.*).

Dixi *ut plurimum;* interdum enim expedit ut quidam motus sensualitatis, si sint leves, potius contemnantur, ne (dum abominatio concipi vellet) per phantasiam adaugeantur, ut advertit S. Lig. (*V 8*).

An autem ultra simplicem displicentiam (quae ad passionis motum reprimendum non sufficiat) aliquid aliud remedium (v. g. orare, distractionem aliquam procurare, opera quae passionem excitant interrumpere, ad situm paulo frigidiorem se vertere, vel etiam a lecto surgere, aut ieiunare, aut cilicio lumbos constringere, aut disciplinam facere etc.) exigatur, decisio pendet tum ex gradu periculi, tum ex utilitate remedii ipsius, tum denique ex facilitate illud adhibendi. Si periculum consensus non adsit, vel sit leve (prout in homine virtuoso levibus motibus carnalibus subiecto), tunc praedicta displicentia sufficit; si vero periculum sit grave, tunc aliquid aliud remedium exigitur; ita tamen (prout modo dicebam) ut remedii ipsius utilitas et facilitas considerari debeat. *Utilitas.* Hinc si maior resistentia iam inutilis esset, et multo magis si periculum potius adauctura vel diuturnius redditura esset, tunc illam adhibendi nulla obligatio adesse posset. *Facilitas.* Hinc ordinarie non dabitur obligatio deserendi vel interrumpendi opera necessaria aut utilia (v. g. audiendi confessiones): aut illis non congrue attendendi ut mens ad dimicandum contra tentationes occupetur: aut, si tentatio diu duret, quovis momento praedictos actus abominationis et displicentiae concipiendi

etc. Cf. Ballerini (*l. c. 209*) et Sanchez (*l. c. n. 12. 13*). Nihil dico de consulendis (maxime vero iniungendis) ieiuniis, ciliciis, et disciplinis personis ad haec non assuetis, aut mulieribus gravidis, aut infirmis etc.

CAPUT II.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA ET NUMERICA PECCATORUM.

580. ***Cur agendum est de distinctione ista?*** Praecipue propter integritatem confessionis; quum enim Christus Dominus voluerit ut peccata accusentur non in genere, sed distincte iuxta propriam speciem et numerum; valde necessarium est ut confessarii probe sciant quomodo peccata specie et numero distinguantur, et quomodo circumstantiae speciem mutantes ab aliis indifferentibus aut solum aggravantibus vel minuentibus distingui possint.

581. *Quaenam* ***regulae*** *in re ista dari possunt?*

Regula suprema est ut respiciatur sensus communis; non solum quia sensus communis vix unquam errabit, sed etiam quia Christus Dominus, dum imposuit obligationem confitendi speciem et numerum peccatorum, utique non plus exigere potuit quam ut homines iuxta communem apprehendendi et loquendi modum haec distinguerent et significarent. Si itaque communi sensu tale vel tale peccatum ab alio distingui debeat, quia ad diversam classem pertineat, diverso nomine appelletur etc.; tunc species erit diversa; et secus si secus. Similiter si sensus communis talem vel talem actionem (etsi multis actibus coalescentem) tamquam peccatum unicum considerare soleat, peccatum erit unicum revera; et secus si secus.

Theologi tamen alias quoque regulas suppeditant, quae melius rem declarant, atque (discretione tamen servata; qua de re vide *Theol. mor. Vol. V n. 47*) ad praxim deservire possunt.

ARTICULUS I.

Regulae speciales circa distinctionem specificam.

582. Notandum I. quod species peccatorum non sunt semper eiusdem ordinis; sed aliae sunt altioris ordinis et dicuntur *genericae;* aliae vero ordinis inferioris et dicuntur *infimae*. Sic, v. g. iniustitia est species generica; unde iniustitia distinguitur v. g. ab impietate, intemperantia, impudicitia etc.; homicidium autem, furtum, detractio etc. sunt species infimae, quae sub specie generica iniustitiae comprehenduntur, et sub confessionis obligatione cadunt.

Notandum II. quod distinctio specifica esse potest in uno eodemque peccato; unde dicimus; quod in furto sacrilego adest circumstantia quae speciem mutat; sed ut plurimum est in peccatis numero diversis, unde dicimus v. g. quod fornicatio a sodomia, mollitie etc. specie differt.

583. ***Undenam desumitur distinctio specifica*** *peccatorum?* Ex diversa deformitate morali, quae ordinarie nominis quoque diversitatem secum fert, vel exigit ut communi nomini attributum aliquod addatur. Hinc distinctio specifica adest v. g. inter homicidium et suicidium; inter peccata cordis, oris, operis et omissionis etc.

584. *Possuntne dari* ***aliae regulae speciales?*** Utique. Distinctio specifica desumitur 1° ex diversis virtutibus quae laedantur; 2° ex diverso modo laedendi virtutem eandem; 3° Aliquando etiam ex diversis praeceptis quae violentur. Sed haec sunt explicanda.

585. *Explica quomodo* ***ex diversis virtutibus laesis*** *diversitas specifica oriatur?* Exempla essent sequentia.

Homicidium, fornicatio, sacrilegium. Haec sunt peccata specie diversa, quia homicidium laedit iustitiam, fornicatio castitatem, sacrilegium religionem.

Odium proximi, detractio simplex (revelando crimen occultum) et calumnia. Primum charitatem; secunda iustitiam; tertia, praeter iustitiam, veracitatem etiam laedit.

Titius rem habet cum Bertha. En fornicatio laedens castitatem. Si Titius esset sacerdos, superadderetur sacrilegium laedens religionem. Si Titius esset frater Berthae, interveniret etiam incestus laedens pietatem. Si Bertha esset coniugata, adesset quoque adulterium laedens iustitiam.

Caius furatur rem sacram; en furtum sacrilegum laedens iustitiam simul et religionem. Caesar percutit fratrem suum clericum; en peccatum triplicis speciei laedens iustitiam simulque pietatem et religionem.

Livius blasphemat haereticaliter coram famulis et filiis; en peccatum quatuor specierum, laedens religionem, fidem, charitatem et pietatem.

Notandum quod, expresso in confessione peccato sub nomine communiter usitato, iam subintelligitur quaenam virtutes offensae fuerint; idque verum est ordinarie, non vero semper; duae enim fieri debent exceptiones.

Prima (utique frequentissima) est quando in casu intervenit aliqua circumstantia specialis, quae nec semper nec ordinarie adest, quae alterius virtutis offensionem superaddit. Exemplum habes quando laeditur charitas (interveniente scandalo), vel pietas (v. g. peccando cum consanguineis), vel religio (ut in furto sacrilego, fornicatione sacrilega, in peccante etiam contra votum etc.), vel iustitia (ut in fornicatione violenta), vel obedientia (ut quando in peccato interveniret etiam inobedientia contra patrem vel Episcopum etc.).

Secunda exceptio (quae non frequenter contingit) locum habet quando aliqua virtutis laesio quae adesse solet et subintelligitur, in casu non intervenit. Exemplum habes si fornicatio cum foemina mentecapta commissa fuisset; tunc enim laesio charitatis spiritualis non adesset; unde stuprum quidem, sed non scandalum verificaretur.

586. *Explica quomodo* ***ex diverso modo laedendi eandem virtutem*** *distinctio specifica oriri possit?* Eadem virtus laedi potest 1° Per excessum vel defectum (v. g. spes praesumptione vel desperatione). 2° In diversis materiis (v. g. iustitia in bonis vitae, honoris, famae, bonorum fortunae, pudicitiae, coniugii etc.; unde homicidium, contumelia, detractio, furtum, stuprum, adulterium etc.). 3° Actione vel omissione, scilicet positive vel negative (v. g. negando Fidem vel negligendo emittere actus Fidei). 4° Diversis sensibus aut potentiis (v. g. delinquendo contra castitatem delectatione morosa, aut gaudio, aut desiderio, aut tactu, aut copula, aut verbo, aut auditu, aut visu, aut olfactu etc.). 5° Circa obiecta diversa; unde aliud est mollities, aliud fornicatio, aliud sodomia, aliud bestialitas. Item aliud est sacrilegium personale, et aliud reale. 6° Violando obligationem propriam (v. g. votum, fidem coniugalem etc.), vel etiam efficiendo ut eadem violatio in alia persona accidat (v. g. coniugatus cum coniugata, aut voto ligatus cum voto ligata rem habet). Utique

hae omnes aliaeque similes differentiae diversas deformitates morales et proinde species diversas constituunt.

587. *Sufficitne quilibet diversus modus laedendi eandem virtutem ut distinctio specifica locum habeat?* Negative, sed notanda sunt sequentia.

I. Diversitates in genere moris accidentales nulliusque momenti speciem non variant.

Exempla. Furtum pecuniae a furto equi aut bovis specie non differt. — Quando in blasphemia declaratum fuit an simplex vel haereticalis extiterit, non oportet declarare expressiones, quibus blasphemans usus fuerit. Sic, quando calumnia a simplici detractione distincta fuit, exprimere non oportet quibus in materiis (nisi forte exinde diversae virtutis offensio intervenisset v. g. calumniando patrem vel sacerdotem) sermo versatus fuerit. Vide Gury (*Vol. I 449 not. a*). Idem dic de verbis contumeliosis.

II. Plus et minus non variat speciem.

Hinc furta decem scutatorum et mille scutatorum gravitate quidem sed non specie differunt. Uno verbo quantitas, intensitas, et duratio, efformare quidem possunt circumstantias aggravantes, sed non speciem mutantes, saltem ordinarie. Dico *saltem ordinarie ;* interdum enim agi posset de *crudelitate,* excedendo limites punitionis atrocitate vel diuturnitate poenarum (v. g. si punitus veniam peteret, vel esset puer, senex etc.), aut gaudendo de poena.

III. Actus, qui praeparationis vel medii naturam habent, quid unum cum actu principali (si unione morali coniungantur) etiam quoad speciem constituunt, dummodo eiusdem generis (seu, uti aiunt, eiusdem speciei genericae) sint.

Exempla. Titius v. g. volens occidere Caium quaerit arma, rixatur, vulnerat et tandem occidit. Sempronius puellam turpiter concupiscit, statimque illam turpiter alloquitur, turpiter tangit, et tandem cum ipsa copulam habet. Hic adsunt quidem desideria, sermones et tactus, quae inter se specie (infima) differunt : sed in casu, quum sint praeparatoria relate ad copulam, propriam speciem amittunt, et absorptae ab actu principali unicum cum ipso peccatum constituunt. Vide Lugo (*De Poen. XVI n. 242*) et Diana (*I 121-122*).

IV. Secus dicendum est quando in aliquo facto actio diversi generis intervenit ; tunc enim in facto ipso peccatum diversae speciei immisceretur.

Casus esset in eo qui, ut alicui pecuniam surriperet, illum occideret. Porro tunc homicidium est actio prorsus diversi generis, et sic propriam speciem amittere nequiret.

588. *An et quomodo* ***etiam ex diversis praeceptis,*** *quae laedantur, distinctio specifica oriri possit?*

Aliqui theologi dicunt solum, distinctionem specificam ex diversis virtutibus laesis et ex diverso modo laedendi eandem virtutem oriri: quasi diversa praecepta in distinctionem specificam nullatenus influere possint.

Alii dicunt, distinctionem specificam oriri quidem posse etiam ex diversis praeceptis; sed solum quando haec praecepta ex diverso motivo lata fuerint. Cf. S. Lig. (*V 33*) et Scavini (*I 719*).

Mea doctrina est sequens.

589. Ordinarie sufficit perpendere an virtutes iure naturali obligantes, sive diversae sive diverso modo (ut supra) laesae fuerint; nec oportet considerare an simul aliorum quoque praeceptorum tunc lege positiva obligantium transgressio intervenerit; idque certe contingit 1° quando transgressio ista iam subintelligatur, ut puta si sacerdos in confessione diceret: *Sigillum fregi;* subintelligeretur enim quod nedum contra legem divinam, sed etiam contra legem ecclesiasticam (frangendo sigillum) peccavit. Contingit 2° quando iuxta communem aestimationem nulla specialis deformitas propter legum diversitatem invenitur; ut puta, si christifidelis festum aliquod de praecepto non sanctificasset; satis enim se accusaret dicendo: *festum non sanctificavi;* nec teneretur distinguere an festum illud sanctificandum fuisset ex lege divina (ut in dominicis), vel ex lege ecclesiastica (ut in aliis festis); vel ex utraque (ut in festo, quod in dominicam incidisset).

Dixi *ordinarie;* atque, ad totam hanc rem bene declarandam, noto sequentia.

I. Praecepta particularia (si sint non monita tantummodo sed vera praecepta) obligant sub virtute *obedientiae;* unde qui contra praeceptum patris, socium impium frequentaret, non solum contra religionem, sed etiam contra obedientiam, peccaret, nec confessioni satisfaceret dicendo: *socium impium frequentavi*, sed etiam significare deberet, se in re gravi contra praeceptum et obedientiam patris peccasse.

II. Quaedam leges positivae obligant quidem iuxta legem naturalem, sed *cum quibusdam differentiis.* Exemplum habes in lege prohibitionis librorum; dum enim lex naturalis restringi posset ad solam lectionem cum periculo, lex positiva extenditur etiam ad retentionem, atque ad lectionem etsi periculum non adesset. Hinc non sufficeret dicere: *legi pravum librum*, sed addi deberet illum esse prohibitum etc.

III. Quaedam virtutes iure naturae obligant solum

ad abstinendum ab excessibus; sed leges positivae efficere possunt ut obligent etiam quando essent solum de consilio. Exemplum habes in legibus ieiunii et abstinentiae a carnibus diebus esurialibus; quae sub virtute temperantiae obligant etiam quando virtus ipsa non obligaret, atque excessum tantummodo interdiceret.

Hoc itaque sensu non solum virtutes diversae, sed etiam praecepta diversa, in distinctionem specificam influere possent.

ARTICULUS II.

Regulae speciales circa distinctionem numericam peccatorum.

Quando actus est unicus atque unicum obiectum habet (Titius, v. g. unico mentis actu foeminam concupiscit), tunc peccatum esse unicum, liquido patet. Sed ut plurimum actiones humanae, aut pluribus actibus constant, aut plura obiecta respiciunt (Sempronius, v. g. pluribus vicibus foeminam tentat et tandem fornicationem committit; et Caius unico actu pluribus scandalum infert). In his casibus error contingere potest, credendo unicum adesse peccatum, ubi revera sunt plura; et viceversa adesse peccata plura, ubi revera est unicum.

590. Ad non errandum, regula generalis est sequens. *Si pluralitas omnino resultet, tunc erunt plura peccata; si e contra praedominet unitas, tunc erit peccatum unicum.*

Pluralitas resultare potest 1° propter nimiam distantiam actuum; 2° propter nimiam distinctionem actuum; 3° propter nimiam distinctionem obiectorum.

PUNCTUM I.

Declaratur quomodo ex gradu distantiae inter actum et actum pluralitas in peccatis praedominet; vel e contra, non obstante distantia aliqua, praedominet unitas.

591. **Praedominaret pluralitas,** et proinde peccata essent plura, 1° ex distantia magna; idque verum esset etiam quando finis unicus subsisteret.

Exemplum. Petrus hodie concipit voluntatem fornicandi cum Rosa, illamque tentat, sed frustra. Intra se dicit: *alia vice ad aggressionem redibo.* De facto, sed solum post longum tempus (v. g. post annum) Rosam iterum aggreditur et copulam obtinet.

Praedominaret pluralitas 2° quamvis distantia esset brevis (intellige *respective*), intervenientibus circumstantiis quae facile seiungunt; quod accidit in sequentibus casibus.

Casus I. Si deesset actus principalis, etsi intenderetur, sed casu impeditus fuisset.

Exemplum. Antonius pluribus vicibus (v. g. hodie, heri, nudius tertius etc.) inimicum ad necem inquisivit; sed nunquam illum occidit.

Casus II. Si nullus finis principalis intenderetur.

Exempla. Caius cogitat de re turpi. Postea ad alia se divertit, et iterum de eadem turpitudine cogitat.

Titius percutit Caium. Post unum vel alterum horae quadrantem illum denuo percutit.

Maevius cum sociis de rebus turpibus loquitur. Deinde sermonem ad alias res serias divertit, et postea loquitur iterum de turpibus.

Livius sine intentione fornicationis turpiter tangit Bertham. Postea coenat, et post coenam iterum Bertham tangit.

Casus III. Si finis unicus parum emineret.

Exemplum. Sempronius agricola vult furari domino fundi valorem quindecim scutatorum; et proinde occasione messis pro decem scutatis, et occasione vindemiae pro reliquis quinque furatur.

Casus IV. Si intervenisset retractatio (scilicet voluntas cessandi) cum cessatione effectiva brevi quidem, sed non brevissima.

Exemplum. Titius vult percutere Caium. Percutit, et cessat percutere (quasi intra se dicens: *satis est*); sed post horae quadrantem illum denuo percutit.

Casus V. Si novus finis accessisset.

Exemplum. Volebam percutere uno ictu. Percussi; sed, ictu inflicto, concepi intentionem percutiendi iterum atque iterum; et sic feci.

In omnibus his casibus praedominat *pluralitas*, et proinde plura numero peccata locum habent. Vide Lugo (*De Poen. XVI 551. 567*).

592. E contra, non obstante distantia aliqua, **praedominaret unitas**; et proinde peccatum esset unicum, in sequentibus casibus.

Casus I. Si actus principalis nedum intentus sed etiam obtentus fuisset; tunc enim actus ex rei natura connexi, sive praevii sive subsequentes, cum illa quid unum constituunt.

Exempla. Antonius statuit occidere inimicum suum; et in hunc finem longo tempore atque innumeris vicibus de re ista cogitavit, media paravit, illum pluries inquisivit, et tandem illum occidit.

Petrus ex intentione rem habendi cum Rosa, hodie illam tentat sed frustra; cras iterum illam tentat, et cum ea copulam habet.

Auctor libri obscoeni singulis diebus per annum integrum duas vel tres horas in illo componendo insumit.

Lucius, fornicatione commissa, illico alias blanditias superaddit, et toto illo die de peccato suo gaudet.

Casus II. Quamvis peccata ex consuetudine commissa utique sint numera plura, tamen voluntas in illis sic continuandi, etsi multoties repetita, tamquam quid unum considerari solet. Idem dic de perseverantia in proposito non restituendi, non dandi pacem inimico etc.

Casus III. Si plures actus successissent in eodem impetu passionis; tunc enim moraliter non censerentur interrupti, et tamquam praestiti ad modum unius considerari solerent.

Exempla. Caius in eodem impetu passionis cogitationem turpem iterum iterumque in mente volutavit.

Livius turpiter Bertham tetigit, et sine interruptione notabili huiusmodi tactus replicavit.

Sempronius in eodem irae furore multa verba blasphema profert.

Sergius similiter innumeras sive imprecationes sive contumelias profert.

In his itaque casibus peccatum esset semper unicum, quia semper praedominaret unitas; illae autem quae interveniunt physicae pluralitates communi sensu veluti evanescunt, et, quasi ad instar petrarum, ex quibus fabricata fuit domus, non considerantur. Vide Lugo (*De Poen. XVI 553*).

Notandum quod brevissimae interruptiones unitati non obstarent, quamvis etiam intentionis retractatio adfuisset; et applicari deberet doctrina Lugonis circa prandium in die ieiunii (Cf. *Theol. mor. Vol. IV n. 21*).

Exemplum. Titius a percutiendo Caio cessat, intra se dicendo: *iam satis est*, sed illico Caium ipsum arroganter se revertentem atque minitantem iterum percutit.

593. *Quomodo itaque confessarius interrogare poterit poenitentem, ut cognoscat an ex actuum distantia plura numero peccata intervenerint?*

Ex dictis deducitur, quod ad dignoscendam unitatem aut pluralitatem peccatorum ex actuum unione aut distantia profluentem, in praxi fere semper sufficit observare an congrue possit habere locum illa simplicissima et commu-

nissima interrogatio: *Quot vicibus id fecisti?* Respondente autem poenitente, v. g.: *Unica vice id feci:* ordinarie non erit cur ratione numeri aliae interrogationes superaddantur. Dicit, v. g. vir: *fornicatus sum unica vice.* Utique non oportet ut confessarius illum interroget an et quot vicibus de fornicatione illa prius cogitaverit; an foemina statim consenserit; an vero et quot vicibus prius eam tentaverit etc.

Non nego tamen quod distantia interdum possit esse tanta, ut unio moralis amplius non adsit, et proinde poenitens turpem cogitationem aut conatum seorsim a copula (seu ab actu principali) confiteri teneatur, ut mox supra notavi (*n. 591*), et repeto quod his in rebus sensus communis melior iudex erit.

PUNCTUM II.

Declaratur quomodo ex nimia actuum distinctione pluralitas in peccatis exurgat.

594. *Quamvis actus absque ulla interruptione locum habeant, possuntne interdum esse ita distincti, ut in unum coalescere nequeant?* R. Affirmative; potest enim distinctio esse talis ac tanta, ut multo magis pluralitas quam unitas resultet; idque ex duabus causis contingere potest.

595. *Quaenam sunt causae istae?*

Prima causa est si actus sint nimis diversi et heterogenei. Exemplum habes in eo, qui, ut induceret foeminam ad peccatum, mentiret, blasphemaret, haereses proferret, aliena ope uteretur etc.

Sed diversitas numerica ex hoc capite proveniens cum distinctione specifica confunditur; de qua iam satis dictum est supra (*n. 587 IV*).

Secunda causa est si actus sint nimis in se completi. Exempla. Titius una vice dormit cum Bertha, et praeter tactus assiduos bis copulam habet. Caius pariter continuis tactibus sollicitat Sempronium, et sic obtinet ut Sempronius bis cum ipso sodomitice coniungatur. Terentius in diebus,

veneris et sabbati immediate successivis quatuor temporum ieiunium omittit. Quamvis in singulis his casibus nulla interruptio moralis locum habeat; nihilominus duo peccata adsunt, quia duae copulae, duo congressus sodomitici, et duo ieiunia omissa sunt actus qui ex natura propria habent complementum adeo resultans, ut in sensu communi pluralitas necessario percipiatur.

596. Dantur tamen casus, in quibus actus suapte natura in se completi, si absque interruptione replicentur, tamquam peccatum unicum apprehendi solent. Exemplum habes in ministro sacramentorum, qui (degens in mortali) baptismum, vel confirmationem, vel poenitentiam, maxime vero eucharistiam, pluribus personis illico successive administret. Ratio est quia haec administratio ad modum unius ita apprehenditur, ut magis unitas actionis, quam actuum pluralitas consideretur. Vide *Theol. moral.* (*Vol. II. n. 418*) et Lugo (*l. c. n. 558*).

PUNCTUM III.

Declaratur quomodo ex nimia obiectorum distinctione pluralitas in peccatis exurgat.

597. *Quomodo actus potest esse* ***unicus*** *simulque* ***obiecta*** *possunt* ***esse plura?*** Actus sive physice sive moraliter unicus plura obiecta respicere potest. Titius, v. g. unico ictu plures occidit, vel unico sermone pluribus scandalum infert.

598. *Pluralitas obiectorum efficitne semper ut peccata sint plura?*

Negative; sed interdum peccata erunt plura, et interdum, non obstante pluralitate obiectorum, peccatum erit unicum.

Ad hoc distinguendam, prae oculis haberi debet quod, ad pluralitatem efficiendam, deservit praecipue si haec obiecta sint valde distincta. Si vero in confuso apprehendantur, tunc magis unitas seu totalitas actionis quam obiectorum pluralitas resultare solet; unde actio ad modum unius ut plurimum peragitur. Do exempla.

Titius unico ictu occidit duos homines. En duo peccata. Titius familiam simul unitam enecat, vel facit stragem, aut bellum. En peccatum unicum; quod tamen, uti patet, pluribus aequivalet. (Insuper in hoc et sequentibus casibus advertentia, maximi momenti quam *n. sequenti* exponam, prae oculis haberi debet).

Moevius grassator surripit pecuniam viro, quem obviam habet; sed ecce venit obviam alius vir, cui pariter crumenam aufert. En duo peccata. Idem Moevius quamdam domum ingreditur et familiam expilat. En peccatum unicum.

Caius unico sermone duabus personis graviter detrahit. En duo peccata. Caius detrahit familiae, vel coetui. En peccatum unicum.

Sempronius unico sermone duos pueros innocentes in malitiam coniicit. En duo peccata. Sempronius in conversatione cum turba sociorum de re turpi loquitur. En peccatum unicum. Ita etiam si quis impiam concionem faceret (quamvis magna multitudo praesens esset) peccatum unicum committeret.

Evaristus malum grave duabus personis imprecatur. En duo peccata. Evaristus idem malum familiae, communitati, coetui imprecatur. En peccatum unicum.

Lucius statuit in corde suo peccare bis cum foemina. En duo peccata. Evaristus statuit cum illa ipsa foemina vivere in concubinatu. En peccatum unicum.

599. *Estne hoc in puncto aliquid advertendum?*

Advertentia, quae in istis aliisque similibus casibus praecipue haberi debet, est sequens. Quamvis numerus obiectorum non efficiat ut peccata sint plura toties quoties actio ad modum unius perpetretur, et iuxta sensum communem tamquam peccatum unicum apprehendatur; nihilominus facile oportet ut in confessionibus saltem implicite et in confuso haec obiectorum pluralitas indicetur; si nempe secus confessarius deceptus remaneret et quid pro quo intelligeret. Me explico. Titius, v. g. impiam concionem fecit, et in confessione dicit: *impie locutus sum.* Lucius statuit inire concubinatum, et confitetur dicens: *voluntatem concepi peccandi cum foemina.* Nunquid bene confiterentur? Minime. Ipsi enim non iam peccatum commissum sed aliud indicarent, ad instar illius qui, dum furatus est centum, diceret: *furatus sum viginti.* Idem dic de eo qui, postquam impium opus valde voluminosum sine interruptione composuerit aut legerit, diceret: *feci compositionem impiam*, aut *una vice lectioni impiae vacavi.* Idem dic a fortiori de eo qui, dum totam quadragesimam sine ieiunio transegit, diceret: *una vice ieiunium omisi.* E contra, si quis in peccato mortali multis christifidelibus

eucharistiam semel administrasset, sufficienter se accusaret dicendo: *una vice eucharistiam administravi.* Hoc enim in casu confessarius deceptus non remaneret. Idem dic de similibus. Vide Lugo (*l. c. n. 141*).

600. Notari potest etiam quod pluralitas obiectorum explicanda est dumtaxat quando id necessarium est, ut peccati numerus vel species explicetur. Secus si ad hoc nihil intersit. Hinc qui cum tribus meretricibus innuptis peccavit, confessioni suae satisfacit, si dicat: *fornicatus sum ter*; nec oportet ut dicat: *cum tribus.* Similiter qui tria furta commisit, regulariter non oportet ut explicet an haec contra eandem personam, an vero contra personas diversas perpetrata fuerint. Vide Lugo (*l. c. n. 558*).

CAPUT III.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

601. *Quid est peccatum* ***mortale?*** Est inordinatio gravis. Dicitur mortale quia sub poena amittendi gratiam seu amicitiam Dei, et consequenter subeundi damnationem aeternam, interdicitur.

602. *Quid est peccatum* ***veniale?*** Est inordinatio levis. Dicitur veniale quia a Deo quodammodo ignoscitur, gratiam Dei imminuit quidem sed non tollit, et temporalem dumtaxat poenam meretur.

603. *Gravitas vel levitas peccati* ***quotupliciter*** *considerari potest?*

Dupliciter: 1° *in se* (scilicet in sua materia); 2° *in agente* (scilicet in malitia personae).

Contingere autem potest quod peccatum grave in se sit leve in agente, et e converso quod sit leve in se et grave in agente.

604. *Quid notandum circa gravitatem vel levitatem peccati* ***in se?*** Peccatum in se dicitur 1° *mortale ex toto genere suo,* quando semper interdicitur sub gravi, et materiae levitatem nunquam admittit. Exemplum habes in haeresi, odio Dei, blasphemia, homicidio, mollitie directe intenta etc. 2° Dicitur *mortale ex genere suo non toto,*

quando interdicitur quidem sub gravi, sed dummodo materia sit gravis (ita scilicet ut materiae levitatem admittere possit). Exemplum habes in furto, in operibus servilibus die festo etc. 2° Dicitur *veniale ex genere suo,* quando ex materia propria (nisi scilicet aliqua circumstantia diversae speciei superaddatur aut conscientia erronea interveniat) nunquam mortale evadere potest. Exemplum habes in mendacio (quod solam veracitatem laedat).

605. *Loquendo de peccato in se,* ***quomodo cognosci poterit*** *an sit mortale an vero sit veniale?*

Prima regula sumitur a sensu communi omnium; unde de innumeris peccatis iam notissimum est quaenam sint mortalia et quaenam venialia.

Secunda sumitur a communi sensu theologorum et virorum prudentum.

Tertia sumitur considerando quanti momenti sit inordinatio de qua agitur; an scilicet omnibus perpensis necesse sit ut sub gravi, an vero sufficiat ut sub levi tantummodo prohibeatur. Dixi *omnibus perpensis;* ad rectum enim iudicium ferendum de gravitata vel levitate peccati in se, oportet considerare illud non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias, v. g. finis legis, personae, loci, temporis, consequentiarum etc. Sic, v. g. in Missa infusio nonnullarum guttarum aquae in calice, in se quid levissimum esset, sed ratione finis legis et significationis quid gravis momenti est. Item iniuria, quae in se esset levis, potest esse gravis vel gravissima, si contra patrem, matrem, superiorem, principem etc. dirigeretur.

606. *Quid de illis peccatis, de quibus (omnibus perpensis)* ***non est clarum an sint mortalia;*** *eo quod rationes graves, vel auctoritates magni momenti, sint pro et contra?*

Peccata huiusmodi non debent existimari mortalia; omnino enim aequum est, ut casus, pro quibus poena aeterna infligitur, clari et manifesti sint.

Ita docent theologi plures cum Sanchez (*Dec. VI.* IV *96*), Caietano, Roncaglia etc., quibus consentit S. Lig. (*De pecc. n. 52 et de Blasphemia in fin.*) inquiens: « Ad hoc ut affirmari possit culpa gravi-actionem ali-« quam carere, sufficiens esse quod probabile sit non esse gravem ».

607. *Quid exigitur* ***ut peccatum sit mortale in agente?***

Tria exiguntur; scilicet materia gravis; plena advertentia; plenus consensus. Sed haec sunt explicanda.

Materia gravis hic intelligitur non quatenus oporteat ut sit gravis in se, sed quatenus debet esse gravis in mente agentis. Oportet itaque et sufficit ut agens sufficienter cognoscat aut credat quod de re gravi agatur.

Plena advertentia non eo sensu exigitur ut omnia sint clara; peccatum mortale enim intervenire potest 1° etsi homo sit in dubio, dummodo credat quod cum tali dubio agere grave malum sit; 1° etsi, dum agit, nihil aut fere nihil cognoscat, dummodo graviter reus fuerit in capsa (iuxta supra dicta *n. 355)*; 3° etsi de mali gravitate dictamen explicitum et clarum non habeat, dummodo ex magno conscientiae remorsu et tumultu sufficienter introvideat in confuso quod de malo gravi agitur. Item non exigitur ut longa consideratio interfuerit; unico enim momento peccatum mortale committi potest.

Plena advertentia itaque significat solum 1° quod homo debet advertere humano modo; non vero in statu semidormientis, vel semiebrii, vel semifatui versari; 2° quod non solum cognoscere debet id quod agit, sed etiam advertere actionem ipsam esse malam; 3° quod malitiae ipsius gravitatem sufficienter (etsi in confuso, ut dixi) introvidere debet; nec sufficit si gravitatis ipsius suspectum tantummodo vel dubium habuerit, sine consideratione quod cum tali dubio agere grave malum sit; prout speciatim in repentinis eventis, aut etiam occasione vehementissimae passionis (v. g. irae) subito accensae, contingere potest; tunc enim facile vel actus tantummodo primo-primus aderit, vel sufficienti considerationi seu advertentiae ad malitiae gravitatem locus non erit.

Plenus consensus denique non iam in eo quod voluntas metui aut pressioni ulli subiecta non fuerit; sed in vera deliberatione, quae humano modo fiat, consistit. Hinc plenus consensus locum non habuisset si adfuisset inclinatio sensibilis dumtaxat, vel adhaesio mere instinctiva, vel lucta quaedam interveniente resistentia etsi non prorsus

energica; dummodo tamen in titubantia vel debili resistentia grave malum animadversum non fuisset.

608. *Peccatum* ***mortale ex toto genere suo*** *(v. g. fornicatio, eiusve desiderium)* ***quomodo potest evadere veniale?*** Ex duplici capite, nempe 1° ex conscientia erronea; 2° ex imperfectione actus, scilicet ex defectu plenae advertentiae aut pleni consensus.

609. *Peccatum* ***mortale ex genere suo non toto*** *(v. g. furtum, percussio etc.)* ***quomodo potest evadere veniale?*** Ex triplici capite, nempe 1° ex conscientia erronea; 2° ex imperfectione actus; 3° ex levitate materiae.

610. *Peccatum* ***veniale*** *ex genere suo (v. g. mendacium)* ***quomodo potest evadere mortale?*** Ex duobus, nempe 1° ex conscientia erronea; 2° ex adiunctione circumstantiae speciem mutantis.

Exempla in quibus peccatum veniale ex genere suo, ex adiunctione circumstantiae speciem mutantis, evadere posset mortale.

Mendacium, donec (solam veracitatem laedendo) in sua specie remaneret, nunquam mortale evaderet; bene vero mortale evadere posset, si, charitatem quoque vel iustitiam laedendo, damnosum foret; vel si, castitatem laedendo, ex fine, v. g. extorquendi copulam carnalem diceretur. Porro tunc circumstantia speciem mutans interveniret.

Otium, donec contra solam operositatem esset, nunquam mortale foret; bene vero mortale evadere posset, v. g. si interim negligerentur munera proprii status; vel si esset occasio proxima peccandi mortaliter; vel si quis amore otii intra se diceret se esse paratum quoque ad peccandum mortaliter, v. g. ad omittendam Missam die festo.

Idem dic si ex peccato levi scandalum grave pusillorum subsecuturum foret.

Idem dic si praeceptum de re levi quis violaret ex contemptu auctoritatis, vel quia nollet recognoscere Superiorem illum (etsi legitimum) eique in nihilo obedire etc.

611. Notandum tamen quod ex adiunctione circumstantiae speciem mutantis peccatum veniale non eo sensu redditur mortale, ut in confessione manifestari debeat; sed sufficit si, tacito peccato levi (v. g. mendacio), circumstantia illa gravis (v. g. damnum proximi vel transgressio munerum proprii status etc.) accusetur. Ita Busembaum apud Ballerini (*Opus. th. Tr. IV 339* XLII).

Ratio videtur esse quia substantia peccati tunc consistit potius in malitia illa mortali; illud autem peccatum veniale est quid leve, quod non ita interest ut accusari debeat.

612. ***An venialia evadere possint mortalia ex multitudine?***

R. I. Peccata quae non ex genere suo sed solum ex levitate materiae per accidens venialia sunt (ut furta levia, leves comestiones in die ieiunii, breves labores in die festo, leves omissiones in horis canonicis etc.) utique uniri, et sic, materiam gravem constituendo, mortale peccatum efformare possunt, ut suis locis theologi demonstrant et explicant.

R. II. Alia autem peccata venialia, non obstante eorum frequentia et multitudine, mortalia nunquam evadunt, ut ex sensu communi patet. Cf. Ballerini (*l. c. 346. 347*).

CAPUT IV.

DE PECCATIS INTERNIS.

613. ***Quaenam sunt*** *peccata interna?* Praecipua sunt 1° amor (inordinatus); 2° odium; 3° invidia; 4° iudicia temeraria; 5° desideria mala; 6° proposita mala; 7° gaudium de malo; 8° delectatio morosa. Hic agitur solum de quatuor postremis; de primis aptius agendum erit in propriis locis.

614. *Explica quid sint* ***desideria mala, proposita mala, gaudium de malo, et delectatio morosa?***

I. *Desiderium* respicit malum futurum incertum, quod sive in persona desiderante sive aliter accidere poterit.

II. *Propositum* respicit pariter malum futurum; sed ita ut persona proponens ad illud perpetrandum sit determinata.

Utrumque potest esse *absolutum* vel *conditionatum*. Propositum consideratur semper ut efficax; sed desiderium potest esse *efficax* vel *inefficax*, secundum quod persona desiderans ad media tentanda sit disposita vel non sit disposita. Si autem nihil tentare vellet quia de effectu desperaret, tunc desiderium potius *velleitas* diceretur.

Propositum est solum de peccato a proponente committendo; desiderium autem ad malum quodcumque referri potest.

III. *Gaudium* respicit malum praeteritum; unde (sensu theologico) accipitur non iam pro actu quo quis gaudet

dum peccat, bene vero pro delectatione quam quis habet de peccato a se commisso, dum scilicet, postquam peccaverit, non iam dolet prout deberet, sed gaudet.

Gaudium tamen (vulgari sensu) respicere potest etiam malum proximi sive praeteritum, sive praesens.

Gaudium autem *tristitiae* de bono correspondet.

IV. *Delectatio morosa* respicit rem malam aut periculosam per imaginationem repraesentatam ut praesentem.

Dicitur *morosa*, non iam quia mora temporis exigatur, ut illa locum habeat; sed solum ad indicandum non sufficere delectationem involuntariam, seu sensitivam et sponte sua naturaliter ortam; bene vero exigi ut homo, post advertentiam intellectivam, voluntarie se delectet (quod equidem unico momento perfici potest).

615. In re venerea, desideria et gaudia, maxime vero delectationes morosae, excitare solent motus carnales plus vel minus vehementes: sed interdum etiam sine illis esse possunt.

616. *Loquendo prius* ***de desiderio,*** *quaeritur an desiderium* ***conditionatum*** *possit remanere peccaminosum?*

Variis modis contingere potest quod, non obstante conditione, malitia adhuc remaneat.

Primus est si res adhuc desideretur tamquam peccaminosa.

Exempla. Occiderem inimicum si haberem ensem. Furarer si occulte vel absque timore carceris id facere possem. Peccarem si non adesset infernus. Fornicarer, vindictam facerem etc., si essem saecularis.

Secundus est si quis apponat conditionem *si liceret;* sed agatur de re ita mala, ut ipsa erga illam tendentia (quae utique in tali etiam desiderio remanet) sit necessario intrinsece mala, eo quod ne Deus quidem tendentiam illam reddere possit licitam.

Exempla. Si liceret et possibile esset, destruerem Deum. Si liceret, blasphemarem, sodomiam, bestialitatem, vagam venerem etc. exercerem etc. Cf. Lugo *(De poenit. XVI 390).*

Tertius est, si, non obstante conditione *si liceret,* remaneat aliqua malitia extrinseca, v. g. ratione motuum carnalium, periculi etc.

Exemplum. Heu quam libenter copulam haberem cum Titia, si esset uxor mea. Desideria huiusmodi, speciatim sponsis de futuro et coniugatis, maxime vero sacerdotibus, ad minus ratione periculi, illicita esse per se patet.

Si autem conditionis appositio efficiat ut malitia quaevis tam intrinseca quam extrinseca desit, tunc tale desiderium licitum erit.

Exempla. Malefactorem occiderem, furem morte dignum laqueo suspenderem, si essem iudex. Titiam consanguineam in uxorem ducerem, si obtinerem dispensationem. Pecuniâ Caii uterer, si per eiusdem donum mea evaderet. Antonius die veneris dicit: comederem carnes si hodie esset dies Iovis. Regularis dicit: eleemosynam facerem, si non essem regularis. Clericus dicit: in bello iusto (maxime contra inimicos Ecclesiae) heu quam libenter dimicarem, si non essem clericus etc.

617. *An **circumstantiae speciem mutantes**, quae in opere malo adsint, in eiusdem quoque desiderio et gaudio adesse censeantur?*

Affirmative, unde qui cum coniugata peccare desiderat, aut de peccato cum illa commisso gaudet, nedum contra castitatem sed etiam contra iustitiam in corde suo peccat.

Excipe tamen nisi desiderium ita conditionale fuisset, ut malitia specialis exclusa fuisset; ut puta, si quis dixisset: peccarem cum Titia, si coniugata, consanguinea, monialis etc. non esset. Idem dic si quis in gaudio exceptionem poneret, dicendo, v. g.: gauderem nisi coniugata etc. fuisset.

618. *An liceat **desiderare malum temporale proximi ob bonum finem**?*

Salva charitate, dummodo scilicet rectus charitatis ordo salvus remaneat, affirmative. Ita theologi communissime cum S. Lig. (*V 21*),

Hinc liceret desiderare malum proximi (v. g. infirmitatem vel etiam mortem) si desideraretur non iam ex ira, sed sincere propter bonum praeponderans, quod esse posset spirituale aut temporale sive proximi ipsius sive alterius. Idque a fortiori liceret si, ut cessarent mala aut scandala publica, maxime in perniciem Religionis, infortunium illud exoptaretur.

Hoc patet etiam ex D. Th., qui (*2. 2 q. 76 a. 1*) dixit esse licitum optare malum alicui sub ratione boni praeponderantis « quia tunc princi-« palis intentio non fertur ad malum sed ad bonum, puta, cum aliquis « optet aliquem peccatorem pati aliquam aegritudinem, aut aliquod impe-« dimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem aliorum nocumen-« tum cesset ». Et subdit: « Optare alicui malum sub ratione boni non « contrariatur affectui, quo quis simpliciter alicui optat bonum, sed magis « habet conformitatem ad ipsum ».

Haec doctrina confirmatur etiam ex sacris litteris. Apostolus (*Ad Gal. V*) scripsit: « Utinam abscindantur qui vos conturbant ». Et Machab. (*I.* VII *38*) legitur: « Fac (Domine) vindictam in homine isto et exer-« citu eius, et cadant in gladio: memento blasphemias eorum, et ne de-« deris eis ut permaneant ».

Si autem charitatis ordo salvus non remaneret; utique tunc bonitas finis non sufficeret, ut malum proximo desiderari posset.

Hinc damnata fuit (ab Inn. XI) propositio (*n. XIV*) quae dicebat; « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non ut malum « patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum obventura est pinguis « haereditas ».

619. *An licere possit* ***etiam desiderare aliquod peccatum*** (*etiam formale*) *proximi, ut ex illo utilitas praeponderans sequatur?*

Affirmat Lugo (*De poenit. V.* III *35*) inquiens: « Possum ego licite desiderare amico, ut incidat in aliquod « peccatum, ad hoc ut caveat a multis aliis, quae postea « committeret, si nunc non caderet ». Porro rectus ordo, dum exigit ut peccata ob bonum finem fieri nequeant (iuxta adagium: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*), nullum detrimentum patitur si aliquod peccatum ob bonum finem in proximo interdum desideretur, ut minus malum.

Hoc adeo verum est, ut aliquando occasio quoque peccato dari possit.

Exempla. Herus, ad famulum de furto suspectum efficaciter corrigendum, arcam pecuniae apertam relinquit ut in flagranti illum reperiat.

Titio volenti hic et nunc me occidere, aut aliud magnum malum committere, porrigo vinum ut inebrietur.

Patet etiam ex libro Iudith. (*IX et X*).

620. *An quis ob bonum finem possit* ***desiderare malum etiam sibi ipsi?***

Loquendo de malis physicis, certum est illa posse desiderari propter utilitatem praeponderantem; secus enim peccassent Martyres qui martyrium desiderabant, et peccasset Apostolus quando dixit: « Quis me liberabit a cor« pore mortis huius.... Cupio dissolvi et esse cum Christo ».

Aliud esset si quis mortem sibi exoptaret ad evitanda mala minoris momenti. Si vero quis maximis aerumnis confectus, sine ira et cum debita resignatione divinae voluntati, mortis desiderium conciperet, S. Lig. (*V 22*) censet id non improbabiliter licere, quia interdum melior est mors quam vita amara. Practice tamen et ordinarie impatientia et defectus resignationis intervenire atque *imprecatio* peccaminosa contingere solet.

621. *Quid* ***de desiderante ut pollutio in somno***

absque culpa sibi accidat? Desiderium istud illicitum esset si turpis delectatio desideraretur. Si vero exoneratio naturae solummodo, ad tentationem sedandam, desiderii obiectum esset, tunc desiderium ipsum (ageretur enim de desiderando minori malo materiali) licitum esse posset. Vide *Theol. mor.* (*Vol. II n. 777*).

622. *Quum de proposito nihil specialiter addere oporteat, dicendum est aliquid* ***de gaudio.*** *Quaeritur imprimis an liceat* ***gaudere de peccato bona fide commisso,*** *v. g. quod, ex oblivione vigiliae, carnes manducatae fuerint?* Negative; de re enim obiective mala gaudere non licet. Solum de circumstantia bonae fidei gauderi posset. S. Lig. (*V. 27*).

623. *An liceat* ***gaudere de malo physico proximi ob bonum finem?***

Ob bonum praeponderans et salvo ordine charitatis, affirmative; secus, negative; ut iam supra dictum est de desiderio.

Hinc licebit quidem gaudere si magnus peccator infirmitate aliqua praeoccupatus aut in carcerem detrusus fuerit, sive ut ipse corrigatur, sive saltem ut ab aliorum nocumento cesset (ut ait S. Thomas *22 q. 76 a. 1*); non vero licebit gaudere de morte patris propter haereditatem (Vide mox supra *n. 618*).

624. *An liceat* ***gaudere de bono effectu,*** *qui ex peccato (de quo gaudere non liceat) secutus fuerit?*

Gaudere solum de bono effectu (dummodo gaudium ab effectu ad causam non transeat, qua de re potest esse periculum) permittitur; tunc enim gaudii obiectum non malum sed bonum esset.

Exempla. Sicut licebat gaudere de cessatione malorum quae suicidium Neronis secuta fuit, et de gloria Martyrum quae ex crudelitate persecutorum profluit; et sicut licet gaudere de redemptione D. N. Iesu Christi quae ex eiusdem crucifixione secuta est; ita licet gaudere v. g. de resipiscentia adolescentis quae propter morbum ex vitiis contracto aut ex vulnere recepto prodierit. Item gaudere licebit de scandalo cessante ob necem (etsi iniustam) hominis qui verbo et opere magnam animabus ruinam inferebat. Licebit etiam gaudere de filio nato ex fornicatione etc. Dixi tamen, gaudia huiusmodi esse posse periculosa: et exemplum habemus in matre Petri Lombardi, quae dicebat se non posse dolere de adulterio, a quo tam nobilis ingenii proles exorta sibi fuisset.

625. *An possit esse licitum non solum de bono effectu, sed* ***etiam de malo morali, ex quo effectus ipse profluit, sub hoc ipso respectu gaudere?***

I. Possumus gaudere de iusta permissione mali moralis, (quod scilicet hoc vel illud malum non impediatur) ob bonos effectus qui ex tali permissione derivent: quum enim eadem permissio sit bona, iam non de malo sed de bono gauderemus.

Hinc ubi publico bono expedit ut meretrices aut cultus falsi a Principe tolerentur, de tali obtenta tolerantia gaudere licebit.

II. Licet quoque gaudere de actione bona, quae per accidens ob aliquam circumstantiam mala fuerit; v. g. de eleemosyna, etsi quis ex vanagloria illam fecerit; non enim vanagloria sed eleemosyna probaretur.

III. Etsi autem ageretur de actione suapte natura mala; mihi certum videtur quod liceat gaudere de minori malo quod scilicet ex duobus malis, minus malum commissum fuerit. Etsi enim nemo possit committere, aut propositum vel desiderium habere committendi, malum, quia est minus malum; tamen, sicut licet desiderare ut de duobus malis certo secuturis, ab alio minus committatur; ita, postquam commissum fuerit, de illo ut tali (non vero ut malo simpliciter) gaudere licebit.

De grassatore, v. g. furari vel occidere volenti, licite gauderemus quod de solo furto contentus fuerit. Vide supra dicta de desiderio (*n. 619*). Sic licebit quoque gaudere de pollutione quae in somno acciderit propter exonerationem naturae et finem tentationis (non vero propter delectationem quae in pollutione ipsa adfuit). Nec obesset si non prorsus naturaliter accidisset, sed tactibus a dormiente procurata fuisset, ut contra alios observat cum Lugo Ballerini (*Op. th. Tr. IV 123-126*).

IV. An autem in aliis casibus liceat gaudere de peccato propter bonum effectum, Lessius (*IV.* III *104*) dicit aliud esse gaudere quod peccatum commissum fuerit; aliud vero gaudere quod peccatum, posito quod iam commissum fuerit, sit causativum boni effectus; et concludit licitum esse gaudere in secundo sensu, non vero in primo. Et haec esse videtur sententia communis (Cf. Ballerini *l. c. 111*). In confirmationem huius doctrinae adduci solet celebris Ecclesiae exclamatio: « O felix culpa, quae talem ac tan« tum meruit habere Redemptorem ». Cf. Croix (*V 91*).

Quidquid sit de hoc, certe videndum ne in tali gaudio charitas aut pietas laedatur; unde damnata fuit ab Innocentio XI propositio quae dicebat: « Licitum est gaudere

« de parricidio parentis in ebrietate perpetrato, propter « ingentes divitias inde ex haereditate consecutas ».

626. *Loquendo* ***de delectatione morosa,*** *quaeritur quot ex capitibus delectatio morosa possit esse illicita?* 1° Ex obiecto; 2° ex periculo consensus; 3° propter motus carnales; 4° ex speciali conditione subiecti. Sed haec sunt explicanda.

627. *Quomodo delectatio morosa erit illicita* ***ex obiecto ?*** Talis erit si quis imaginetur opus malum (v. g. stuprum, homicidium, furtum etc.) tamquam si ipse aut alius illud committeret, de eoque voluntarie delectetur, quasi intra se diceret: non facio sed mihi placet ut fiat. Utique delectatio huiusmodi inclinationem et affectum erga opus malum, eiusque complacentiam et approbationem implicat, et proinde peccaminosa necessario erit.

628. *An circumstantiae speciem mutantes, quae sint in opere malo, in eiusdem quoque delectatione morosa inveniantur? An scilicet, v. g. qui delectatur de copula cum coniugata vel moniali, non solum contra castitatem, sed etiam contra iustitiam vel religionem peccet?*

Hoc in puncto duo sunt certa. 1° Malitia circumstantiae speciem mutantis contraheretur, si haec ipsa circumstantia esset obiectum directum delectationis, ut puta, si quis delectaretur de copula cum coniugata vel moniali praecise quia talis esset. 2° E contra non contraheretur si explicite excluderetur, dicendo, v. g. delectarer de copula cum Titia, nisi coniugata vel monialis foret.

Si vero circumstantia animadverteretur quidem, sed neque intenderetur neque excluderetur, ut puta, si quis de copula cum Titia coniugata, non quia coniugata sed quia pulchra, delectaretur; tunc diversae sunt theologorum sententiae. Vide Lugo (*De Poen. XVI 362 et seqq.*), S. Lig. (*III 475 et V. 15*) et Ballerini (*Op. th. IV 158*).

Ratio opinandi quod malitia circumstantiae speciem mutantis non contrahatur, est quia circumstantia eadem tunc non intrat in delectationem atque illius obiectum minime est. Sed, si haec ratio valeret, tunc qui etiam de fornicatione, vel sodomia, vel bestialitate, vel concubitu daemoniaco etc., non iam propter haec obiecta diversa, sed solum propter effraenatam libidinis suae satisfactionem, delectaretur; solius mollitiei reatum contraheret; quod equidem absurdissimum esset. Sensus communis

quoque abhorret ab admittendo quod amore perditus erga coniugatam, si forte de copula imaginata cum eadem delectetur, malitiam adulterii non contrahat, ea sola de causa quia neque propositum neque desiderium copulam reapse cum ipsa habendi concipiat; et de circumstantia illa quod sit matrimonio ligata non delectetur, imo forte talis circumstantia ei displiceat, dum idem accidere posset si copulam de facto cum illa haberet.

Ratio autem est quia qui, non obstantibus circumstantiis forte malevisis, de delicto easdem contin/nte delectatur quasi sicut illud committeret, iam in totum, et sic *implicite* etiam in circumstantias illas, consentit.

Aliud esset si *ne implicite quidem* consensus interveniret. Casus esset si circumstantia imaginata nullam realem existentiam haberet, ut puta, si quis de copula non cum tali vel tali moniali, sed cum foemina sive in imagine, sive ope apparitionis diabolicae, sub forma monialis repraesentata, morose delectaretur, neque ad circumstantiam istam (quod scilicet repraesentetur ut monialis) ullum affectum haberet; tunc enim quoad circumstantiam illam neque explicite neque implicite consensus interveniret. Idem dic si quis ex concubitu alterius cum coniugata, occasionem sumeret concipiendi morosam delectationem de solo concubitu, non vero de concubitu cum coniugata.

Sed circa rem istam, quae ad praxim parum deservit, amplius immorari non oportet.

629. *An et quinam dentur casus, in quibus delectatio morosa posset esse sine malitia ex obiecto?*

I. Si quis non de opere malo; sed solum de modo artificioso, ludicro, novo etc., quo imaginetur fuisse commissum (aut vere commissum fuerit), delectaretur.

II. Si quis non de opere malo, sed solum de eiusdem (vel cuiuslibet rei periculosae) cogitatione delectaretur. Obiectum delectationis tunc esset cogitatio, quae posset equidem grave peccatum esse, sed posset etiam nulla aut minore malitia infici. Tunc autem delectatio morosa potius simplicis cogitationis nomine appellari solet.

Exempla. Cogitat quis de peccatis (aut de partibus turpibus corporis humani) ratione studii. Imaginatur quis facinora, ut comoedias, tragedias vel poemata componat.

Aliquando, dum culpa mortalis esset si quis de facinore delectaretur, culpa venialis esse posset, si quis absque gravi periculo de sola eiusdem imaginatione, v. g. in legendis libris romanticis, delectationem admitteret.

III. Si de re, quae, si hic et nunc fieret, peccaminosa esset, quis delectaretur, imaginando illam pro tempore quo licita foret. Exemplum habes in viduis qui de copula praeterita; et in sponsis vel iuvenibus qui de copula in matrimonio futura, delectantur. Attamen vide mox infra (*n. 631*).

Idem dic de delectationibus admissis sub conditione

quae malitiam obiectivam totaliter auferat, ut puta, si quis diceret: Delectarer de copula cum Titia, si uxor mea esset.

Idem dic a fortiori si res de qua delectatio concipitur, ne quidem hic et nunc illicita esset, prout in coniugibus de copula se morose delectantibus contingere solet.

630. *An, quando in delectatione morosa malitia non subsistit ex obiecto,* ***propter periculum*** *peccaminosa evadere possit?*

Affirmative: iure naturali enim a periculo cavendum est. Necessitas tamen (v. g. cogitandi de re periculosa causa studii) excusare posset.

631. *An, etiam* ***ex motibus carnalibus*** *delectatio morosa illicita evadere possit?*

Affirmative: illi enim periculum constituere et adaugere solent.

Secluso etiam periculo, ab amatoribus castitatis, nulla causa iisdem sine necessitate dari debet.

Contingere potest etiam quod quis positive de illis complacentiam habeat, illosque quaerat; quo casu libido iam esset directe intenta, quae extra matrimonium a peccato mortali nunquam excusari posset.

631. *Ex doctrinis hucusque expositis quid concludendum circa* ***delectationes morosas viduorum, sponsorum et coniugum?***

I. Delectationes viduorum, et sponsorum (de copula habita vel habenda) propter motus carnales et periculum, practice illicitae graviter sunt. Attamen simplex delectatio mere intellectualis et fugax, ad modum simplicis approbationis, aut simplicis desiderii rei licitae, sine peccato esse posset. Vide Ballerini (*Op. th. n. 135-150*) et Lugo (*De Poenit. XVI. 184*).

II. Mitius loquendum est de coniugibus; quum enim eorum status expostulet, ut, seclusa pollutione, ea quae ad venerem pertinent minori rigore interdicantur, delectationes morosae (etsi commotiones venereae, et quidem voluntariae, subsistant) sub gravi prohibitae iisdem minime sunt. Vide *Theol. mor.* (*Vol. II n. 850*).

632. *Dictum est supra (n. 629) quod delectatio interdum esse potest de solo modo artificioso, ludicro etc.*,

vel de sola cogitatione; potius quam de obiecti malitia. Quaeritur an in materia lubrica, vel odii, illusiones hoc in puncto facile accidere possint; et quid exigatur ut quis suum agendi modum revera esse sincerum et innocentem existimare possit?

Quod illusiones circa intentionem facile intervenire valeant, et quod, supposita etiam intentione recta, defectus ex alio capite (et speciatim ex periculo) intervenire possit, admittendum est.

Imprimis enim contingere potest quod homo, dum sibi blanditur se delectari de solo modo artificioso etc. vel de sola cogitatione, eius intentio vera (etsi recondita) sit se delectandi sive de opere malo, sive de motibus carnalibus, pascuum quoddam in iisdem quaerendo.

Ut autem distinguatur an quis finem sincerum habeat delectationem capiendi de solo modo, perpendi debet an circa durationem, vel considerationis acuitatem, aliquis excessus interveniat, dum citius desisteret vel minus consideraret, si de aliis rebus artificiosis quidem sed pascuum libidini non dantibus ageretur.

Item ut distinguatur an quis ex fine recto cogitet de re aliqua periculosa, considerandum erit 1° an causa bona et legitima (sive necessitatis sive utilitatis) se applicandi ad talem cogitationem reapse existat et primum impulsum dederit; 2° an eadem servetur moderatio, quae in aliis rebus aequalis necessitatis vel utilitatis servaretur. Caeterum sola propensio naturalis, quae in quibusdam rebus magis sentiri solet repugnante voluntate, certe non esset motivum iudicandi quod malus finis interveniret. Supposito autem fine recto et motivo bono, ordinarie quidem (cautelis adhibitis) nihil mali aderit; sed contingere posset etiam quod ratione periculi (speciatim si necessitate non cogente, de sola utilitate aliqua vel recreatione ageretur: maxime vero si finis esset curiositas) a rebus illis cogitandis (vel legendis etc.) supersedendum sit. Cf. Ballerini (*Op. th. IV. 97-106*).

633. *Quomodo delectatio morosa potest evadere peccaminosa etiam* ***ex speciali conditione subiecti?***

Casus esset in personis sive castitatis voto detentis, sive coniugatis; quando enim in aliis contra solam castitatem, in ipsis contra religionem quoque, aut contra fidelitatem coniugi servandam, peccatum intervenire potest. Lugo (*De Poenit. XVI. 384-386*).

NOTA

In hoc tractatu convenienter agi posset etiam *de radicibus peccatorum;* quae praecipue sunt *passiones humanae*, et vulgo dicuntur *peccata capitalia.* Sed de his in tractatu separato agam in *Theol. moral.* (*Vol. II. n. 1024-1072*).

APPENDIX

De facultatibus absolvendi et dispensandi, quas hodie habere solent Episcopi iure delegato.

I. Facultates quae continentur in pagella S. Poenitentiariae, et sunt sequentis tenoris.

Vobis Venerabili in Christo Patri N. N. infrascriptas communicamus facultates ad quinquennium duraturas, quibus, non obstante Constitutione Apostolicae Sedis, *pro foro conscientiae per vos sive per vestrum vicarium in spiritualibus generalem, dummodo in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, etiam extra sacramentalem confessionem pro grege vobis commisso et intra fines vestrae dioecesis tantum, atque de speciali in unoquoque casu exprimenda Sedis Apostolicae auctoritate vobis delegata, uti valeatis; quasque canonico poenitentiario, necnon vicariis foraneis pro foro pariter conscientiae ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si vobis placuerit, aliis vero confessariis, cum ad vos sive ad praedictum vicarium generalem in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare iudicabitis.*

I. Absolvendi ab excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas iniectas sive in clericos sive in regulares, dummodo non fuerit secuta mors vel mutilatio, seu lethale vulnus aut ossium fractio; et dummodo casus ad forum Ordinarii deducti non fuerint; iniunctis de iure iniungendis et praesertim ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a censuris contra duellantes statutis in casibus dumtaxat ad forum Ordinarii non deductis; iniuncta gravi poenitentia salutari et aliis iniunctis quae fuerint de iure iniungenda.

III. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis incursis ob haereses tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas; ob infidelitatem et catholicae fidei abiurationem private admissas, sortilegia ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob daemonis invocationem cum pacto donandi animam, eique praestitam idololatriam ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata incursis, postquam tamen poenitens complices, si quos habeat, prout de iure denunciaverit; et quatenus ob iustas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primo et meliori modo quo fieri poterit, et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abiuraverit et pactum cum maledicto daemone initum expresse revocaverit; tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstitiosis ad omnia comburenda seu destruenda; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacra-

mentorum et obligatione se retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum Ordinarii deducti; cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; iniuncta gravi poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, iniuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi prout de iure sive per se sive per alium absque ulla mora et quantum fieri poterit ante absolutionem libros prohibitos quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus, iniuncta poenitentia salutari; et quando agitur de muneribus quae valorem decem scutatorum non excedunt, imposita aliqua eleemosyna absolventis iudicio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis aut conventus cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutatorum decem vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti poenitens adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis arbitrio praefiniendum; alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis massonicis, aut carbonariis, aut aliis eiusdem generis sectis nomen dederunt, aut qualemcumque favorem praestiterunt; ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abiurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, comburenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque iniunctis de iure iniungendis: nec non absolvendi eos qui eiusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint: iniuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem vobis vel aliis, ad quos spectat, prout de iure denunciandi.

VIII. Absolvendi religiosos cuiuscumque ordinis (etiam moniales, per confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

IX. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si marito vel uxori respective supervixerit.

X. Dispensandi cum incestuoso vel incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo, sive primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris seu respective ma-

riti ; remota occasione peccandi et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XI. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento iam contracto, et, quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post eiusdem putatae uxoris nativitatem et non aliter, monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus ; sed ita caute ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur : et, quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas : remota occasione peccandi ac iniuncta gravi poeniteutia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item de speciali et expressa apostolica auctoritate vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differri queat : remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris huius nativitatem non antecedat : iniuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione iam contracto : monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione.

Item ex eadem speciali et expressa apostolica auctoritate pariter facultatem concedimus dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem; iniuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

N. B. Mens nostra est 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus vos uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae ; 2° ut iniunctio confessionis sacrumentalis, de qua, sub *nn. X. XI et XII* non sit *irritativa* sed tantum *praeceptiva ;* 3° ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulative in uno eodemque casu uti possitis.

Datum Romae die *5 Maii 1896*.

II. Facultates circa emptores bonorum ecclesiasticorum.

Facultates istae exponuntur in *Theol. mor.* (*Vol. III n. 145 pag. 595*).

III. Facultates circa casus occultos ex Cap. *Liceat.*

Declaratio habetur in *Theol. mor.* (*Vol. V n. 192 pag. 122*).

IV. Facultas circa impedimenta matrimonii relate ad concubinarios moribundos.

Facultas ista explicatur in *Theol. mor.* (*Vol. V n. 1019. 7° pag. 550*).

V. Facultas habilitandi consiliarios Locorum Piorum.

Explicationes dantur in *Theol. mor.* (*Vol. III n. 891 pag. 437*).

VI. Facultas subdelegandi benedictionem sacrarum imaginum, sacrae suppellectilis, et campanarum.

VII. Facultas reducendi et transferendi onera Missarum.

VIII. Facultas dispensandi (sub certis conditionibus) parochos ab applicatione Missae *pro populo* in festis suppressis, et percipiendi eleemosynam pro Missis binatis.

IX. Facultas legendi et retinendi libros prohibitos.

Vide *Theol. mor.* (*Vol. II n. 69*).

X. Facultates circa forum saeculare, non obstante immunitate ecclesiastica personali et locali.

Vide *Monitore* (*Vol. III.* III *6*).

INDEX

Epistola Leonis Papae XIII ad Auctorem . . . . . *pag.* v
Ad lectorem . . . . . » vii
TRACTATUS I. *De Legibus* . . . . . » 1
Caput I. De legis essentia seu definitione, divisionibus et distinctionibus . . . . . » ib.
Caput II. De variis legum speciebus notiones generalissimae » 3
Articulus I. De lege divina . . . . . » ib.
Articulus II. De lege humana . . . . . » 4
Punctum I. De lege humana in genere . . . . . » ib.
Punctum II. De lege ecclesiastica . . . . . » 5
Punctum III. De lege civili . . . . . » 6
Caput III. De auctore legum humanarum, seu de iis qui valide legislatores esse possunt . . . . . » ib.
Caput IV. De promulgatione legis et de tempore quo post promulgationem lex effectum habere incipit . . . » 10
Caput V. De legis validitate . . . . . » 14
Caput VI. De consuetudine quae legem facit . . . . » 16
Caput VII. De interpretatione legis . . . . . » 20
Articulus I. Notiones generales . . . . . » ib.
Articulus II. De interpretatione doctrinali . . . . » 23
Articulus III. De interpretatione auctoritativa . . . » 29
Caput VIII. De legum effectibus . . . . . » 34
Caput IX. De legis subiecto . . . . . » 41
Caput X. De modo legi vel quibuslibet obligationibus satisfaciendi . . . . . » 47
Caput XI. De causis quae ab obligatione aliisque legis effectibus excusant vel eximunt . . . . . » 54
Articulus I. Quomodo ab effectibus legum excuset ignorantia, error, oblivio, inadvertentia et dubium . . . . » 55
Articulus II. Quomodo a legum effectibus impotentia et difficultates excusare possunt . . . . . » 60
Caput XII. De causa eximente migrando ad locum ubi lex non viget . . . . . » 67
Caput XIII. De mediis ad legem adimplendam adhibendis . » 71
Caput XIV. De privilegio . . . . . » 74
Caput XV. De dispensatione . . . . . » 84

Articulus I. De dispensationis natura . . . . . *pag.* 84
Articulus II. De dispensationis obiecto . . . . . » 87
Articulus III. De dispensationis auctore . . . . . » ib.
Punctum I. Exponuntur quaedam generalia . . . . . » ib.
Punctum II. De potestate dispensandi in Pontifice . . . » 88
Punctum III. De potestate dispensandi in Episcopis . . » 89
Punctum IV. De potestate dispensandi in Vicariis Capitularibus » 94
Punctum V. De facultate dispensandi in Vicariis Generalibus: aut aliis, qui absente Episcopo ad universitatem causarum deputentur . . . . . » 95
Punctum VI. De potestate dispensandi in Regularibus . . » 97
Punctum VII. De facultate dispensandi in parochis . . » 98
Punctum VIII. De facultate dispensandi in confessariis . . » 99
Articulus IV. De causis requisitis ut dispensatio sit licita et valida . . . . . » 100
Articulus V. De obligatione dispensandi . . . . . » 114
Articulus VI. De interpretatione dispensationis et facultatis dispensandi . . . . . » 115
Articulus VII. De subiecto dispensationis . . . . . » 117
Articulus VIII. De dispensationis cessatione . . . . . » 124
Caput XVI. De legis cessatione . . . . . » 129
TRACTATUS II. *De actibus humanis* . . . . . » 141
Caput I. De actibus humanis in se spectatis . . . . » ib.
Articulus I. De actus humani definitione . . . . » ib.
Articulus II. De voluntario eiusque distinctionibus, et de involuntario . . . . . » 142
Articulus III. Quaenam voluntario et libero opponuntur . » 155
Punctum I. De ignorantia . . . . . » ib.
Punctum II. De concupiscentia . . . . . » 165
Punctum III. De habitu . . . . . » 171
Punctum IV. De coactione in genere . . . . . » 174
Punctum V. Agitur in particulari de metu . . . . » 178
Punctum VI. Agitur in particulari de vi seu violentia . . » 184
Appendix. De violentiis quas daemon hominibus inferre potest » 187
Punctum VII. De statu in quo persona, propter imperfectionem aut morbosam turbationem virium cerebralium, plus vel minus rationis usu impeditur . . . . . » 190
Punctum VIII. De idiotismo et speciatim de surdo-mutis . » 191
Caput II. De actuum humanorum moralitate . . . . » 192
Articulus I. De essentia, et distinctionibus moralitatis . . » ib.
Articulus II. De fontibus moralitatis . . . . . » 193
Articulus III. Declaratur utrum actus externus moralitati obnoxius sit . . . . . » 201
TRACTATUS III. *De conscientia* . . . . . » 203
Caput I. De conscientiae essentia et distinctionibus . . » ib.
Caput II. De conscientia certa . . . . . » 208
Caput III. De conscientia incerta inter duo mala . . . » 212

Caput IV. De conscientia incerta inter licitum et illicitum . *pag.* 213
Articulus I. De modo quo solvi possunt indirecte dubia iuris et de usu probabilitatis . . . . . » 215
Articulus II. De modo quo solvi possunt indirecte dubia facti » 228
Caput V. De conscientia scrupulosa . . . . . » 238
Caput VI. De conscientia laxa . . . . . » 250
TRACTATUS IV. *De peccatis* . . . . . » 253
Caput I. De natura peccati . . . . . » ib.
Caput II. De distinctione specifica et numerica peccatorum . » 259
Articulus I. Regulae speciales circa distinctionem specificam » 260
Articulus II. Regulae speciales circa distinctionem numericam » 264
Punctum I. Declaratur quomodo ex gradu distantiae inter actum et actum pluralitas in peccatis praedominet; vel e contra, non obstante distantia aliqua, praedominet unitas » ib.
Punctum II. Declaratur quomodo ex nimia actuum distinctione pluralitas in peccatis exurgat . . . . . » 267
Punctum III. Declaratur quomodo ex nimia obiectorum distinctione pluralitas in peccatis exurgat . . . . . » 268
Caput III. De peccato mortali et veniali . . . . . » 270
Caput IV. De peccatis internis . . . . . » 274
Appendix. De facultatibus absolvendi et dispensandi, quas hodie habere solent Episcopi iure delegato. . . . » 285

FINIS

Faventiae XXI Iunii MCMV
Nihil obstat
IOSEPH Can. CALDERONI Revisor Episcopalis

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.B47 C001
THEOLOGIA MORALIS-FUNDAMENTALIS FAVENTI
3 0311 00044 1464

WITHDRAWN

45559

BX
1758
.B47 45559

Berardi, Emilio

AUTHOR THEOLOGIA MORALIS-FUNDAMEN
TALIS

TITLE

DATE LOANED | BORROWER'S NAME

~~R41~~ ~~B483t~~

~~2596~~

BEFORE TAKING BOOK

from library, remove slip from this pocket: put your name and date on it and place it in the box provided for the same

WHEN RETURNING BOOK

return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.

Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

C0-DLX-219